

Copyright information

Gaedechens, Rudolph, 1834-1904.

De Graeis : Dissertatio mytholo-archæologica.

Gottingae, 1863.

ICLASS Tract Volumes T.17.6

For the Stavros Niarchos Digital Library Euclid collection, [click here](#).



This work is licensed under a [Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Unported License](#).

This book has been made available as part of the Stavros Niarchos Foundation Digital Library collection. It was digitised by UCL Creative Media Services and is copyright UCL. It has been kindly provided by the [Institute of Classical Studies Library and Joint Library of the Hellenic and Roman Societies](#), where it may be consulted.

Higher quality archival images of this book may be available. For permission to reuse this material, for further information about these items and UCL's Special Collections, and for requests to access books, manuscripts and archives held by UCL Special Collections, please contact [UCL Library Services Special Collections](#).

Further information on photographic orders and image reproduction is available [here](#).




With thanks to the Stavros Niarchos Foundation.



UCL Library Services
Gower Street, London WC1E 6BT
Tel: +44 (0) 20 7679 2000
ucl.ac.uk/niarchoslibrary



NOT TO BE
REMOVED
FROM THE
LIBRARY



fo. 20
6



DE GRAEIS.

DISSERTATIO MYTHOLO-ARCHAEOLOGICA,

QUAM

ILLUSTRI PHILOSOPHORUM ORDINI

AD IURA DOCTORIS PUBLICI

IN UNIVERSITATE LITERARUM IENENSI

RITE SIBI DEFERENDA

SCRIPSIT

RUDOLPHUS GAEDECHENS

DR. PHIL.



CUM DUABUS TABULIS AENEIS QUATTUORQUE EMBLEMATIS.

*In Nacht geboren, Nüchlichem verwandt,
Beinah' uns selbst, ganz Allen unbekannt.*

Graeae in Goethei Faust. part. alt.

G O T T I N G A E
APUD VANDENHOECK & RUPRECHT.

MDCCCLXIII.



DISSERT.

AD

IN UNI

CUM DUAB

A

DE GRAEIS.

DISSERTATIO MYTHOLO-ARCHAEOLOGICA,

QUAM

ILLUSTRI PHILOSOPHORUM ORDINI

AD IURA DOCTORIS PUBLICI

IN UNIVERSITATE LITERARUM IENENSI

RITE SIBI DEFERENDA

SCRIPSIT

RUDOLPHUS GAEDECHENS

DR. PHIL.

CUM DUABUS TABULIS AENEIS QUATTUORQUE EMBLEMATIS.

*In Nacht geboren, Nüchlichem verwandt,
Beinah' uns selbst, ganz Allen unbekannt.*

Graeae in Goethei Faust. part. alt.

G O T T I N G A E
APUD VANDENHOECK & RUPRECHT.
MDCCCLXIII.

DE GRÆCIS.

DISSERTATIO MYTHO-ARCHAEOLOGICA.

QUAM

ILLUSTRI PHILOSOPHO ORDINI

AD IURA DOCTORIS PUBLICI

IN UNIVERSITATE LITÆRARUM JENÆ

RITE Sibi DEFERENDA

SCRIPTIT

RUDOLPHUS CATOPHENS

et alii.

CUM DUABUS TABULIS ANNEIS QUATTUORQUE EMBLEMATIB.

In Noctibus, Westphalen, etc.
Sunt et alii, qui alia habent.
Sunt in Germaniæ, etc.

GOTTINGÆ

APUD VANDEHOFF & RUPRECHT.

MDCCCLXIII

FRID

Hunc

positiones

potius qu

quem uti

questioni

subtilissim

FRIDERICO WIESELERO

s.

Hunc libellum, in multis contra Tuas expositiones directe disputantem, ad neminem potius quam Te mitti posse existimo, quippe quem utique Tibi iucundum fore sciam. Si quaestionibus meis assentiri potueris, per Tuas subtilissimas investigationes excitatis atque e

FRIDERICO WIESELERO

Tua disciplina profectis utere; sin minus Tibi
visae fuerint verae, certe probum meum Tibi
placebit studium quo rei tam obscurae aliquam
lucem afferre conatus sim.

Jenae mense Maio anni MDCCCLXIII.

R. GAEDECHENS.



G.F. Neise del. et sculp. 1863.

§. 1.

De Graeis et Perseo.

Inter ea quae Perseus cum ad Medusae Gorgonis caput acquirendum proficisceretur fertur perpetrasse, primum fuit quod superavit Graeas. Erant hae — numero multo saepius tres vocantur quam duae ¹⁾ — Phorcyos filiae et Cetus habitabantque in Oceani finibus qui ad occidentem spectant, ubi nec sol lucet nec luna ²⁾, aut prope Atlantem montem ³⁾. Senes autem erant inde a iuventute ⁴⁾; unum cunctae oculum ⁵⁾ unumque, ut alii addunt, dentem ⁶⁾ habebant, quibus in vicem utebantur ⁷⁾. Perseus a Minerva ⁸⁾, aut ab illa cum Mercurio ⁹⁾ ductus atque incitatus, cum iis a tergo ¹⁰⁾, eo ipso, ut nonnulli narrant, temporis momento quo oculum dentemque mu-

taturae maxime defensione destitutae essent electo ¹¹⁾, appropinquasset, oculum dentemque eripit.

His rapiendis quid sibi voluerit Perseus varie traditur. Aeschylus ¹²⁾ iique qui eum sequuntur ¹³⁾ id facit Perseum agere ut, cum Graeae custodes sint Gorgonum ¹⁴⁾, has sciscitetur, eundemque, si sibi viam illae monstraverint, quae rapuerit se restitutum promittere atque propositum suum assequi; de qua quidem re etiam id in fabula additum invenitur quod mortem istis minatus sit ¹⁵⁾, — maior scilicet pars familiae Phorcyos mortales sunt. Si autem ea narrationis mutatio fit ¹⁶⁾ ut eo quem rapuerit oculo in Tritonidem iacto, cum caecae redditae sint custodes, facile Gorgonas superaverit, prorsus ea res est vilis: qua tota everteretur fabula, in qua unica est res difficilis vincenda Medusa, Graeae ita superantur ut tanquam impedimentum quoddam multo levius ante tollatur.

Contra alii ¹⁷⁾ custodes Gorgonum Graeas fuisse non memorant Perseumque propter id tantum eas convenire faciunt ut ex iis comperiat quod sit iter ad nymphas quae galeam Plutonis, peram, soleas alatas possideant; haec autem illi ad Gorgonis caput acquirendum necessaria sunt, quam quidem rem ita ut supra iam tetigimus consequitur.

§. 2.

De Graeis Hesiodicis et Aeschyleis.

Auctores sunt in hunc mythum qui est de Graeis in primis Hesiodus et Aeschylus. Ille ab iis memorandis partem illam valde nobis attendendam theogoniae

incipit qua
„Phorcyi ve
ornatas, ind
et dii immo
bene vestita
sius earum
inter ea p
nuncupat in
„qua Phorc
rum forma
neque sol
quam 2).“

Itaque
screpant: il
humana, pu
hic portenta
sint person
hic nullum
Phorcium
ullus mythu
utriusque p
dam. Quip
viveret deo
habebat ut
ad certam c
comprehens
lerent offer
quam diver
quae dicim
contra Aesc
niam pertur
rum opinio

incipit qua Phorcyos prolem lustrat; habet de iis haec:
 „Phorcyi vero Ceto peperit Graeas, pulchris genis ad-
 ornatas, inde a partu senes; Graeas quas vere nominant
 et dii immortales et homines humi incedentes, Pephredo
 bene vestitam et Enyo croco velatam“ 1); hic, qui fu-
 sius earum in Phorcidibus tragoedia mentionem fecit,
 inter ea portenta eas appellat quae Ioni Prometheus
 nuncupat in erroribus attingenda, haec de iis proferens:
 „qua Phorcides habitant, veteres virgines, tres, cycno-
 rum forma, uno oculo unoque dente praeditae, quas
 neque sol radiis suis visit neque nocturna luna um-
 quam 2).“

Itaque quam fieri potest maxime haec inter se di-
 screpant: illic duae sorores, hic tres, illic figura plane
 humana, pulchris vestibus induta, illic puellae formosae,
 hic portenta quaedam uno oculo, uno dente, cum tres
 sint personae; illic Graearum nomen cum vi iteratum,
 hic nullum eius vestigium, sed filiarum Phorcyos seu
 Phorcidum haud admodum gravis denotatio; vix denique
 ullus mythus magis idoneus sit ad magnam quae inter
 utriusque poetae deos intercedit differentiam illustran-
 dam. Quippe is qui theogoniam scripsit, cum aetate
 viveret deorum religione penitus imbuta, id propositum
 habebat ut docto carmine singulos deos aequalibus suis
 ad certam quandam rationem redigeret atque in stemma
 comprehensos ordineque compositos iis qui pie illos co-
 larent offeret, virium ac fortunarum magis varietate
 quam diversitate specierum indolumque et attributorum
 quae dicimus copia singulorum discernendi studiosus;
 contra Aeschylus, cum ipse esset deorum cultor, quo-
 niam perturbatam iam atque labentem tum temporis deo-
 rum opinionem intelligebat, id agens ut sua pietate tam-

quam medicina aequalium animos erigeret, priscis fabulis religiose servandis et referendis eas opiniones notionesque quas deorum suorum numinibus Graeci expressas habebant etiam extrinsecus specie adaequare illosque quasi praesentiores coram animi oculis collocatos in ipsas mentes inducere studebat, qua quidem re coactus eo minus ab iis quae rei scenicae ratione requirebantur vindicare se potuit. Itaque, ut Harpyias, apud Hesiodum ³⁾ veloces easdem ac formosas, turpia quaedam feminarum alatarum monstra ⁴⁾ facit, sic Gorgonibus, quae eadem apud Hesiodum ita omni atrocitatis foeditatisque additamento ⁵⁾ carent ut Medusa vel digna sit quae Neptuni amore fruatur ⁶⁾, utitur et ad Furiarum foeditatem ex illis illustrandam ⁷⁾ et ad pericula itineris ab Ione ineundi pingenda, in quo istae etiam habitent ⁸⁾, portenta generi humano invisae, sibilantibus ex ipso ore serpentibus. Quamobrem fieri iure non posse illico apparet ut ea quae illi scriptores re vera vehementer inter se discrepantia indicant mutandis codicum lectionibus in consensum urgeantur, id quod in ipsis Graecis plus semel tentatum est. Quippe in primis, cum apud Aeschylum forma sint minime videlicet venusta, genarum pulchritudinis laudem, quam iis impendit Hesiodus, detrectare sunt qui conati sint ⁹⁾; quam praesertim cum arbitrentur crinium canitiei repugnare, ab eodem poeta iis tributae; atqui ista, dummodo ne sit aetatis senilis, quandoquidem inde a partu propria est illarum naturae, nullo modo efficitur genas iuvenili colore et integritate eas habere non posse. Quis in eam opinionem incidere Galatarum liberos, quibus, ut narrat Diodorus ¹⁰⁾, in partu et aetate puerili cani capilli esse solerent, propter eam ipsam rem etiam turpes ac senilibus oris lineamen-

tis fuisse?
est illa qu
mira ac qu
tur referre
ad hanc ips
genarum pu
sumpserimu
piscium cau
fabulatur II
καλλιπάρητος
tribui posse
Hesiodum I
hac tota ca
quam matr
probabilis
quod est n
potuissemu
solum per
Phorcynos
Atqui cont
fra Hesper
si in Grae
nisi gravi
ρήους", app
Verum
tam vocem
„δη“ serv
Etenim He
ponit ben
sed appell
esse et sig
niam cogn

tis fuisse? Satis mira certe haec Graearum descriptio est illa quidem, sed id ipsum scilicet vult Hesiodus, mira ac quae cum rerum natura convenire non videantur referre; neque profecto errabimus si proinde eum ad hanc ipsam admirabilitatem manifestiorem reddendam genarum pulchritudinem iuxta canitiem crinium posuisse sumpserimus ut post paucos versus Echidnae et foedam piscium caudam et pulchras genas et lucidos oculos esse fabulatur ¹¹⁾. Goettling recepta Seleuci lectione, quae est *καλλιπάρηος*, eam vocem quae et ipsi Graeis non bene tribui posse videretur ad Cetonem retulit, etiam aliis apud Hesiodum ¹²⁾ locis sic appellatam; sed recte Muetzell ¹³⁾ hac tota carminis parte epitheta semper filiabus, numquam matri impendi observavit. Quae lectio eo minus probabilis esset si cum Goettlingio pro „Γραίας“ id quod est minore pondere „παῖδας“ ut legeremus animum potuissemus inducere. Tum enim id quod est „παῖδας“ solum per se positum esset, id quod nisi Graeae unica Phorcyos et Cetonis proles afferentur fieri non posset. Atqui continuo de ea subiicit Hesiodus Gorgonas et infra Hesperidum serpentem ¹⁴⁾, ex quo sequitur „παῖδας“, si in Graeas solas esset referendum, retineri non posse nisi gravi aliquo epitheto, quale traditum est „καλλιπαρήοις“, apposito. —

Verum minime eam repetitionem quae fit per iteratam vocem „Γραῖαι“ remiserim, quin id quod sequitur „δῆ“ servari eam vel disertissime requirere videtur. Etenim Hesiodus cum vocem quae est „Γραῖαι“ iterum ponit bene sibi est conscius non nomen id proprium, sed appellativum ¹⁵⁾ — quae grammatici dixerunt — esse et significare canas vel senes; aliudque nomen quoniam cognitum non habet, tamquam excusationis causa

pergit affirmare: senes feminae, neque aliter profecto eas nominant dii hominesque, aliud iis nomen inditum non est.

Hac autem re ita constituta et affirmatione illa ab Hesiodo facta id inculcari videtur venerabili dignitate esse Graeas, a diis hominibusque coli atque a remotissimis temporibus celebratas esse ¹⁶); id quod etiam ex aperta poetae inopia colligitur aliquid certi de vita, vi, fortunis Graearum pronuntiandi. Nam cum de singulis quibusque reliquis qui huius familiae sunt, satis illo magno numero, quidpiam referre possit, — de Medusa a Perseo interfecta liberisque Pegaso et Chrysaore ex ea prosilientibus, de Geryone, Ortho, Eurytione per vim ab Hercule caesis, de Typhaonis et Echidnae nuptiis eorumque cum sua cuiusque fortuna prole, Chimaera a Bellerophonte trucidata, Sphingis devastationibus, Nemei leonis leto, Hesperidum serpentis custodia —, de Graeis acquiescendum nobis esse patitur in eo quod parce alteri pulchram, alteri croceam vestem esse dicit.

Valde hoc est mirum tantumque abest ut Hesiodi inventum esse videatur ut potius in certa aliqua re positum id esse necesse sit; quod etiam eo probatur quod in una tantum Graea vestis colorem indicare potest Hesiodus, in altera eius rei ignorantiam sub eo quod est *εὖ*, nullam certam imaginem praebenti, occultat. Itaque in hac re poeta aut priscam aliquam quae ei iam non integre in memoria obversaretur traditionem sequitur, aut, id quod multo mihi videtur probabilius esse, imaginem priscam in tabula pictam in memoria collocatam habet in qua cernerentur Graeae. Esse autem Hesiodi temporibus hos ipsos potissimum mythos imaginibus pictos, id ultra omnem dubitationem e poetae descriptione Gor-

gonum so
tium collig
ille spectat
potest, ea
venerabilis
actus est
bus illarum
genarumque
gine illa
sent, —
quidem ce
cuiusdam
que defec
oblitus sit
nihil aliud
pictam, r
Tres
ptores ple
loco Dein
At eo mi
dus esse
bilis vide
eam prae
theogonia
que in un
potest ¹⁸).
Hact
ceteris gr
retineri p
est, in p
qui quide
tribuenda

gonum sororum in scuto Herculis Perseum persequen-
tium colligi posse videtur¹⁷⁾, quam utique in imagine
ille spectatam exhibuit. Sic hoc loco, quoad quidem fieri
potest, eam lacunam quam amplioris de antiquissimis
venerabilissimisque Graeis notitiae inopia admittere co-
actus est aliqua saltem ex parte explere studet vesti-
bus illarum, quae scilicet praeter capillorum canitiem
genarumque pulchritudinem iam antea memoratas in ima-
gine illa facile in primis oculorum attentionem cepis-
sent, — nam de aliis Graearum attributis ne omnino
quidem ceteroquin quidquam scimus —, e priscae illius
cuiusdam imaginis memoria indicandis. Verum sic quo-
que defecta est eius notitia, seu alterius vestis colorem
oblitus sit, seu mixto fuerit illa incertoque colore: certe
nihil aliud quam croceam vestem, acerrime sine dubio
pictam, referre scit.

Tres Graeae cum apud Aeschylum et ceteros scri-
ptores plerosque exhibeantur, Goettling etiam Hesiodo
loco Deino vel Iaino adiungere, si fieri posset, studuit.
At eo minus duarum numerus apud Hesiodum deserend-
us esse ac propter id ipsum ista mutatio haud proba-
bilis videtur quod nequaquam unus est Hesiodus qui
eam praebet: quippe Hyginus, Ovidius, Tzetzes in
theogonia, et ipsi duas tantum Graeas exhibent, ne-
que in una certe imagine antiqua de eo numero certari
potest¹⁸⁾.

Hactenus Hesiodus, cuius de Graeis nuntiata, prae-
ceteris gravissima, prorsus integra, lectione nihil mutata,
retineri posse censeo; praeter eum, ut supra iam dictum
est, in primis auctor est in hunc mythum Aeschylus,
qui quidem statim cycnorum forma (*κυννόμορφοι*) Graeis
tribuenda ad rationem plane aliam deducit hanc de Graeis

quaestionem. Etenim ut omne bestiarum additamentum humana figura detrectata mythologiae Graecae personis affixum inferiorem dignitatis gradum prodit, sic etiam alitum forma Graeis admixta dignitatem earum ab Hesiodi temporibus infractam esse sequitur. Atqui ea ipsa vox nuper a Wieselero ¹⁹⁾ saepius atque argumentis tam gravibus impugnata est ut accuratius in eam controversiam inquirere necessarium videatur.

Primo igitur ille vir doctus eam difficultatem rependit quae existeret si Graeae oculum dentemque cogitarentur mutare, quod quidem apud seriores scriptores diserte affertur, ut vel sint qui Perseum mutantibus supervenisse testentur. Quam difficultatem ipse etiam tollit, cum sexcentas imagines respiciens fieri potuisse concedit ut Graeae, perinde ac Sirenes et Harpyiae, lacertis manibusque humanis praeditae cogitarentur. Neque tamen haec ratio necessario videretur ineunda; nam Graeae vel unguibus aliquo modo id sibi officium praestare poterant, quod si quis opponere voluerit per ipsam rerum naturam fieri non licere, nihil in portentis tam miris obstat quo minus vel tales fuisse illos ungues sumamus quales ad eam operam idoneae essent; si quidem quis hominum antiquorum tam accurate eam rem ad singulas partes omnino imaginari voluit. In iis quae tam mirae sunt ne mira quidem, insolita, supra naturam humanam posita male nos habere debent, neque in eo anxie ac religiose haerendum est num quid de singulis ad ea quae in cogitationem cadunt revocari possit; idque in hac re eo minus quod unus iste duarum vel trium oculis et dens non pro Aeschylis aut alius cuiusdam poetae inventis, sed pro vestigiis potius prisca de Graeis mythi habendi sunt quem Hesiodus non noverit.

Alterum argumentum quod contra cynorum formam Graeis ab Aeschylo tributam faciat ex eiusdem poetae fabula ducit Wieseler cui titulus fuit Phorcidum. Dicit autem, si in Prometheo cynorum formam Graeis assignavisset poeta, ne in Phorcidibus quidem alia figura easdem in scenam produci iure potuisse, neque vero esse cynorum corpore virgines dignas quae in tragoedia exhibeantur. Id sane ne mihi quidem ullo modo statui posse videtur alia forma in Prometheo descriptas, alia in Phorcidibus ante oculos positas esse Graeas. Iam autem dolendum est quod de hac tragoedia nimis malam notitiam habemus: quippe praeter id quod simplicis scribendi generis exemplar ferebatur ²⁰), quod non attinet ad rem, omnia quae e fragmentis hauriri possunt haec sunt quod Perseus, velut suis venator, in specum intrabat ²¹) et quod Graeae prae Gorgonibus custodiebant, quibus item id inesse suspicari possumus Vulcanum fuisse apud Aeschylum qui falcem Perseo ad impugnandam Gorgonem traderet ²²). Ad haec cum quadam certitudine mediam hanc fabulam trilogiae fuisse constituere possumus cuius prima pars erat Danae, ultima Polydectes ²³). Itaque Danaam veri simillimum est continuisse fortunas eius feminae a Iove amatae quas tulit apud Polydectem: hunc eam amantem, ipsam respicientem, Perseum, qui eius voluntati obvius esset, illi invisum et ad Gorgonis caput afferendum missum; Phorcidibus tum descripta fuisse eius facta egregia Gorgoneumque acquisitum; Polydecte denique eam ultionem productam fuisse quam Perseus ea ipsa re quam Polydectes certae eum morti consecraturus comparari iusserat repetit ex homine nefario et occaecato, et liberatam matrem. Atqui in media fabula, sine dubio, ut diximus,

de Persei fortiter factis agente, non de Graeis solis orationem fuisse id ne mentione quidem eget. In grandibus enim eius certaminibus loco sunt valde secundario, cumque nihil sint nisi levia obstacula prius superanda quam ad id quod summum ac difficillimum est perveniat, admodum exiguum periculi ei praebent; atque etiam Gorgonum custodibus iis designatis in id ipsum certo ducimur ut ne Gorgonas quidem defuisse in fabula, contra primarias quasdam partes tenuisse censere debeamus.

Fortasse tale aliquid etiam e Phorcidum titulo licet colligere, qui nihil aliud indicat quam de Phorcyos prole fabulam esse; inter quam Gorgones non minus sunt quam Graeae. Nam quamvis apud Aeschylum distincte bis Phorcides ²⁴⁾ nuncupentur Graeae, tamen poëtae et Graeci et Latini Gorgonem Medusam ²⁵⁾ vocare amant Phorcynidem ²⁶⁾, quae item appellatur *Φορκοῖο γένος*, perinde Phorcis ²⁷⁾; certe nequaquam mire nos habere posset si in fabula quae est de Graeis et Gorgonibus utraeque sorores cunctae Phorcidum nomine comprehenderentur.

Duobus autem modis Graeae in scena collocatae esse poterant, aut actrices, aut in choro. Alterum si sumpserimus, haud admodum offenderem in cynorum forma: quippe pro domicilio iis specus quidam ad cuius introitum commorarentur datus esse poterat, ut non utique opus esset in frontem scenae eas provenire, et superiore tantum corporis parte conspectui data rem scenicam sapienter instaurantis esset formam istam vel occultare vel certe tam leniter indicare ut nullam excitationem esset offensionem. Sed oculi non poterant unus oculus unusque dens, qui quidem praesertim cum ipsam locutionem necessario mutilam redditurus esset, re vera

valde incre
hocque ma
fuisse cogi
nam produ
ternae, qua
structae ne
fecturae n
Incidit aute
cum Graeis
tres Graea
que, in ch
admixtis a
tes essent
dominantib
Mihi enim
non scimu
ducere no
quam quae
duces. At
lum Perse
ipsis dimic
chorum e
posse nom
nas defend
nas et mini
que gravit
feri posse
Quae cum
scenam pro
sic fere fi
Oceanum,
cilium; ad

valde incredibile fit suas partes in fabula egisse Graeas²⁸⁾, hocque magis si, ut Welcker²⁹⁾ putat, in choro eas fuisse cogitemus. Duodecim Graeas ab Aeschylo in scenam productas esse ne ipse quidem credit: quater istae ternae, quattuor cunctae dentibus quattuorque oculis instructae necessario videlicet ridicule magis animos affecturae neque cantica nimis blanda editurae essent. Incidit autem, cum iure G. Hermannum³⁰⁾ Gorgonas cum Graeis in choro collocantem refellat, eo quod ad tres Graeas ministras quoque, scilicet monstra similiaque, in chorum accessisse statuit, in eum errorem ut admixtis ad Graeas, quae certe primarias in choro partes essent acturae, inferioribus quibusdam personis e dominantibus et servientibus chorum compositurus sit. Mihi enim novem istae ministrae, quas omnino exstitisse non scimus quasque qui necesse sit vel etiam liceat inducere non intelligo, non magis ferri posse videntur quam quae choro praefuerint tres uno oculo unoque dente duces. Atque porro, quandoquidem etiam apud Aeschylum Perseus illas res Graeis eripuisse aut certe cum ipsis dimicasse putandus est, num id ceterae novem quae chorum efficerent paterentur? Minime. Id fieri non posse nomen demonstrat custodum, quae quidem dominas defendere conaturae essent. Quid multa? in dominas et ministras distributum nancisceremur chorum, quodque gravius est, ita eum et patientem et agentem ut fieri posse in tragoedia Graeca cogitari vix potest. — Quae cum ita sint, ad id propensus sum ut omnino in scenam productas esse eas non credam, tragoediam autem sic fere fictam esse arbitror: scena erat Graearum ad Oceanum, qua secundum Aeschylum habitabant, domicilium; ad quas venit nuntius, Perseum appropinquare

et quamnam ad rem referens. Admonitiones chori, Gorgonum ira, verum etiam irrisio ac fastus; Gorgo capite suo in lapidem quidquid occurrerit mutante ab omni tutam se opinatur. Iam in domiciliis suis dormitum accumbunt conquiescente etiam choro. Appropinquat Perseus tutantibus Minerva et Mercurio, vel etiam sola Minerva, a quibus impellitur ut in istud domicilium penetret: revertitur peracta re cum Medusae capite, festinanter fugiens. Expergiscuntur sorores: desperatio atque exacerbatio, tum persequi istum parant. Ipsae sine dubio id quod truculenter factum est ploranti choro communicant, versusque ille quem supra iam alii loco vindicavimus „velut suis venator in specum intravit“ optime etiam huic Gorgonum orationi irascenti atque furienti conveniret. Iam fortasse vere incipiunt propere illum insequi, aut, id quod praefero, deorum numina aliqua rei conspirare intelligentes cum questu sortem suam ferunt, nisi forte amicus iis deus, vel Neptunus, Medusae amator, vel Phorcys pater, solatium afferens atque dolorem eo quod summos honores promittit, quorum Medusae caput in Iovis manibus aut in Minervae pectore collocatum particeps futurum sit, leniens accedebat, ita ut totum pacatis ac mitigatis animis ad finem perduceretur. In choro autem fuisse maxime mihi libet fingere, quo forsitan etiam domicilium prope mare positum nos ducat, marinas inferioris gradus deas, Nereidas, Oceanidas, alias eiusdem generis, quae, cum praecipue sapientes, consulentes, solantes, querentes ab Aeschylo inductae sint, Graeis et Gorgonibus sanguine essent coniunctae.

Quod utcumque se habeat, id mihi videor demonstrasse nequaquam necessarium esse in Phorcidibus Graeas in ipsam scenam productas sumere, contra et

ex forma
primarias
tantum adi
tiarentur;
fabula mer
formam re

Tertio
bet id affe
mentio fiat
vel summa
dam sine
ita ut, qu
ret, tamen
Tzetzes in
Graeis asc
bet *κρυβοει*
riat quam
easque cu
lum et de
aliena est.
secuti sin
exempla
de Graeis,
lum unum
tacent.

Sic c
Aeschylun
ceat verba
sis aliis 34
φορκοι 35)
λευκόν. πο
sit „canae

ex forma et ex internis causis multo esse veri similis primarias fabulae personas Gorgonas fuisse, Graeis ita tantum adiunctis ut a Perseo victae per quempiam nuntiarentur; nullo autem modo ex eo quod in illa Aeschyli fabula memorentur argumentum contra istam cynorum formam reperiri.

Tertium quo illam formam admitti non posse probet id affert Wieseler quod a nullo alio scriptore eius mentio fiat. Atqui et lectio quae est apud Aeschylum vel summam fidem habet, quam quippe scholiasta quidam sine dubio intentabilem in exemplari suo inveniret, ita ut, quamvis quid ea sibi vellet non satis intelligeret, tamen retineret eam sine ulla retractatione³²⁾; et Tzetzes in theogonia³³⁾ non solum cynorum formam Graeis ascribit, verum etiam propriam de ea vocem habet *κυκνοειδος*, cum tamen e fonte prorsus alio haec hauriat quam Aeschylo, quia duas Graeas agnoscit, non tres, easque cum Gorgonibus communicatos habere facit oculum et dentem, quae mythi variatio plane ab Aeschylo aliena est. Quam autem Aeschylum potissimum parum secuti sint saepe scriptores valde etiam, si illustriora exempla omiserimus, ea ipsa testantur quae traduntur de Graeis, cum multo pauciores loci praeter unum oculum unum quoque dentem memorent quam qui de hoc tacent.

Sic cum cynorum formam quae est Graearum apud Aeschylum sustentare posse mihi videar, brevissime liceat verba facere de Wieseleri coniectura, quam remissis aliis³⁴⁾ pro certa statui posse putat, scilicet *κυκνόφοροι*³⁵⁾, in Hesychii glossa nixus quae est „φορόν λευκόν. πολιόν. ὄυσόν“, eamque vocem ita explicans ut sit „canae ut cyni“. Desiderat enim in Graeis Aeschyli

commemorari canos crines, „die wichtigste Eigenschaft“. At si missum faciamus quod nequaquam omnes scriptores senectutem vel canos crines earum memorant, itaque non utique opus erat ea apud Aeschylum quoque indicari, tamen nota fuisse illi ea credo, inesse iam in „*δηναιαί*“, quod idem est ac „*πολιαὶ ἐκ γενετῆς*“ apud Hesiodum, maxime autem involvi in eo quod est per contradictionem in adiecto „*δηναιαὶ κόραι*“, ergo „veteres virgines“, „vetulae puellae“. — Iam si illud „*κυκνόμορφοι*“ respexerimus, ratione habita vesparum ³⁶⁾ Aristophanis concedendum est crines humanos cum ipsis cynorum pennis comparari ³⁷⁾; solet tamen ea comparatio referri ad colorem cutis. Quod luculentissime probare mihi videntur loci qualis est Euripideus quo Thresae puellae cum cynis comparantur ³⁸⁾, Virgilianus quo „candidior cynis“ dicitur Galatea ³⁹⁾, quod nimirum non respicit crines; neque aliud quidquam praedicat Pausaniae ⁴⁰⁾ quem Wieseler affert locus, quo species quaedam aquilarum „*ἀετοὶ κύκνιοι*“ appellantur, id est, qui sint toto corpore albi ut cyni, quem ad modum ipse addit „*μάλιστα εἰκότας κύκνω λευκότητα*“; perinde Gregorius Turonensis insigni loco exsangue larvae os „caput cycneum“ ⁴¹⁾ dicit, ac Cycnus nomen suum unice de cutis colore inditum habet ⁴²⁾. Contra cum cynis comparati cani crines, ut dixi, longe rarius vel adeo paucissimis forsitan locis inveniantur.

Licentius sibi indulserunt alii, qui *κυκνόμορφοι*, quoniam tuto erat traditum, retinerent, sed cynorum formam exhorrescentes impavide „canis crinibus“ vel „cano colore praeditae“ interpretarentur, in quam vocis significationem nemo qui animo non temere praesumptis capto id vel legeret vel audiret esset incasurus ⁴³⁾.

Iam, u
tur, cum ce
non plena c
„κόραι“ cont
puellarum, i
les figurae f
natis ⁴⁴⁾, Si
perinde spe
et alitum fo

Gravius
quae sunt
est quod, c
tribuat, ille
minime lice
quopiam sil
hic certe H
rum mythur
Hesiodus, c
sychio Gorg
licet id non
tur, in ea
rum quae
cum Gorgon
memoratum
lum comme
stravimus,
referat. U
schyli temp
illatae pro i
lum demum
Nam quame
Graeas et G

Iam, ut statim locus Aeschyleus ad finem deducatur, cum certitudine accipi posse videtur Graeas poetam non plena cyncorum forma, cui rei vel vox quae est „*κόραι*“ contraria est, sed superioribus corporis partibus puellarum, inferioribus cyncorum praeditas finxisse, quales figurae fluviiis *ταυρομόρφοις* capite saltem humano ornatis ⁴⁴), Sirenibus *ὄρνιθομόρφοις* ⁴⁵), sexcentis praeterea perinde speciebus ex hominum in antiquis imaginibus et alitum forma compositis similia sua nanciscuntur.

Gravius autem his quae intercedunt inter Graeas quae sunt apud Hesiodum et Aeschylum differentiis id est quod, cum hic Perseo primarias partes in eo mytho tribuat, illum Hesiodus ei interesse ignorat. Etenim, minime licet ex eo ipso quod aliquis scriptor de mytho quopiam sileat ignotum eum illi fuisse concludi possit, hic certe Hesiodi temporibus Perseum nondum in Graearum mythum implicatum fuisse apparet; nam sine dubio Hesiodus, cui ipsi, ut id in transitu moneam, ab Hesychio Gorgonum ⁴⁶), Graearum sororum, impugnatione, licet id non certissimo iure fiat ⁴⁷), pro invento tribuitur, in ea carminis sui parte qua numquam omittit eorum quae descripserit numinum impugnatore vocare, cum Gorgones proxime sequentes Perseique factum illic memoratum ultro eam mentionem excitaturae essent, illum commemorasset, praesertim cum aperte, ut demonstravimus, in angustiis sit quo minus aliquid de Graeis referat. Ut igitur hic amplificatio mythi cernitur Aeschyli tempore nota, sic nymphae apud alios scriptores illatae pro incremento iudicari debent quod post Aeschylum demum mythus sumpserit; ille enim eas non novit. Nam quamquam ex eo quod in Prometheo eas inter Graeas et Gorgonas non memorat certi quidquam in hanc

rem colligi nequit, — poterant enim seorsum habitare, ut ab Ione tangendae non essent —, sed quod in Phorcidum fragmentis Graeae ut Gorgonum custodes prae illis collocatae appellantur, id certe ostendit utrasque proxime sibi, ut apud Ovidium, habitantes cogitari, cum praesertim nullus scriptorum in Aeschylo nixorum nymphas memoret, omnibus Perseum a Graeis statim ad Gorgonas pervenire facientibus.

Quo autem causa ac ratio eius intercalationis paullo clarius illustretur, requiritur ut Persei iter cum Herculis breviter comparemus. Ut igitur Perseus paret Polydecti, sic in Eurysthei servitio est Hercules; ut ille, sic hic quoque arma a diis accipit, utrumque prosequuntur Minerva et Mercurius, quod Hercules in Hesiona periclitatur ab omni parte est exemplar liberatae a Perseo Andromedae, quae sequitur Laomedontis infidelitas Phinei et Agenoris perfidia imaginem suam accipit; Hercules Nereum ut viam sibi monstret cogit, Perseus Graeas, ac iam nymphae nymphas aequant quae sunt ad Eridanum, quae Herculi suppeditant quibus deum marinum superet, aut magis etiam Hesperidibus, quae, ut hae Perseum armis instruendum curant, aurea poma custodiunt, atque ut illae comiter plerumque Herculi obtemperant, sic etiam Perseo nymphae sine recusatione quod servant dedunt. Quanto autem opere iam ab antiquis eae similitudines agnoscerentur facillime videtur ex eo probari quod ex una traditione Graeae ipsae aureorum pomorum custodes erant ⁴⁸).

Atqui factorum Herculis cursus et periculosarum expeditionum orbis a posterioribus poetis aliorum heroum facta descripturis pro exemplari acceptus est, cumque singulae Graecorum nationes heroas sibi cuique proprios

quam pluri
efferre stud
tendebant u
rum reperit
ad modum
detinente P
bus repraes
pugnat ⁴⁹).
saepe nihil
petitiones;
sei facta G
mythi sum
lata sunt.

Perse
eum sequi
lam autem
plus illis i
res quidem
interfecta h
interfecit p
portas posi
cum tam pa
vi earum p
tota familia
huic rei co
Atque
marinorum

quam plurimis honoribus cumulatos quantum fieri posset efferre studerent, populus ipse et poetae inter se contendebant ut in heroas illos quoque suos seriem factorum reperirent quae omnium nobilissimi aequaret; quem ad modum in vasis quadam pictura eximie attentionem detinente Perseus Hydram, Chimaeram, Gorgonem, quibus repraesentantur portenta aquarum, maris, coeli, impugnat⁴⁹). Quae igitur ceteris heroibus facta tribuuntur saepe nihil sunt quam eiusdem sub aliis nominibus repetitiones; quibusque tamquam vestimento quodam Persei facta Graearumque impugratio atque ipsa omnis eius mythi summa involvuntur ea ex fabulis Herculeis translata sunt.

§. 3.

De Graeis deabus marinis.

Perseus ad alia facinora egregia pergat, per quae eum sequi non licet, cum hic in Graeis sistendum sit. Iam autem in fine sumus rerum referendarum, non amplius illis in mythologia Graeca apparentibus. Et sorores quidem, Gorgones immortales, quamquam Medusa interfecta haud ita graves partes agunt, tamen eum qui interfecit persequuntur et postea iterum ad inferorum portas positae inveniuntur. Talia nulla in Graeis, ut, cum tam pauca sint e quibus proficiscamur, in natura ac vi earum pervestiganda ad angustias perduceremur ni a tota familia cunctisque diis marinis ea possent peti quae huic rei consulant.

Atque partim iam alio loco¹⁾ copia mihi fuit de marinorum deorum cultu exponendi, partim id maiore

opere exsequi propositum habeo; hic quae saepe iam repetita sunt indicare sufficiat, nullam rerum naturae partem ne hebeti quidem sensui tam refertam esse deorum numinibus quam mare, nullius generis homines, maxime in imperfecta navigationis scientia, tam naturali potentiae obnoxios tamque eo ipso ad deorum daemonumque opinionem propensos esse quam piscatores ac nautas, denique in primis navigatores et in necessitate quadam et inclinatione esse alienos quique efficaces cogniti sint deos colendi eorumque cultum domum asportandi. Hae cum aliis causae effecerunt ut Neptunus, qui erat externus, Graecorum deorum coetui insereretur tandemque superatis priscis numinibus ipse in imperii gradum escenderet. In marinis autem priscis diis id existit quod una quaque regum familia de principatu deiecta repeti videmus in terra, ut veteres legitimae locupletium gentes in opulentas suas possessiones recedant, nulla iam ex parte ipsi gubernationis vel fortunarum patriae agendo participes: otiose degunt, copiosis bonis copiosaque experientia fruentes, a proximis culti spectatique, divitis prolis flore gaudentes; si forte res ita ferat extrinsecus patriae periculo imminente, invito eius qui vi rebus potitus est imperio inviti obtemperant; noviores gentes sine repugnantia in novi regis iugum cervicem flectunt istumque sui arbitrii inopes sequuntur; aliae, quae neque otium ferre neque eo animum adducere possunt ut illi serviant, vel impugnando vel renitendo obistere pergunt aut contra alios populos aliasque nationes dimicant.

Haud aliter dii marini: Nereus Doris, Oceanus Thetis, Phorcys Ceto abrogata omni actione quiescunt; Proteus, Triton totaque illa societas ministros se esse pa-

tienter ferunt
effrenatam
leant ut tur

Homini
vitant' eos
Itaque quod
eam sciant,

oratio iis ta
errore posit

expresserunt
suam vocem

mare posse

His ge
dicenda sunt

eaque sepos
rentes, umb

coactae inv

tota earum

pertinens, e

tis solis loc

dita sunt ha

Cycnor

aquam eas

in Aegyptia

deorum com

pertinet sac

omnium po

carmine ad

tienter ferunt; alii, ut Scylla, adversum deos saevientes effrenatam quamdam vitam agunt, quamvis non adeo valeant ut turpes contumelias evitent.

Hominibus autem dii marini parum faciles sunt; vitant¹ eos potius quam visunt: ipsi sunt visendi²). Itaque quod navigatio iis tantum facilis ac tuta sit qui eam sciunt, quod maris eorumque quae in eo fiunt quasi oratio iis tantum qui eam interpretari sciunt absque omni errore posita sit, id Graeci mythologicae vestientes ita expresserunt ut deos marinos tum demum infallacem suam vocem prodere si qui eam requirat videant se domare posse statuerent.

His generaliter adumbrandis etiam quae de Graeis dicenda sunt implicuimus. Sunt eae tales potentes posteaque sepositae deae marinae³), et quidem quae, ut parentes, umbratilem atque otiosam vitam degant neque ni coactae invitaeque officium suum praestent. Eo ducit tota earum familia, prorsus illa ad veteres eas gentes pertinens, eo domicilium ad Oceanum extremis occidentis solis locis situm, qua quaecumque arcana et recondita sunt habitare solent⁴).

Cynorum quoque quae Graeis tribuitur forma ad aquam eas refert; cynus, aquae avis incolae, praecipue in Aegyptiaci qui dicitur stili vasis saepe marinorum deorum comes invenitur⁵), Veneri quatenus ea ad mare pertinet sacer est⁶), atque virgines cycni, quae cum omnium populorum fabulis notae, tum Niebelungorum carmine ad nostrae scientiae consuetudinem vocatae sunt⁷), cum cynorum figura, cynorum subucula, aliis cynorum attributis et ipsae sunt agnoscendae marinae deae⁸). Sic igitur Graeae quoque cynorum forma praeditae deae sunt marinae, quarum personis repraesente-

tur mare quale solet esse hilari coelo, non quale est dum commovetur procellis, quamquam ad hoc facere sunt qui singularum nomina, Pephredo, Enyo, Deino vel Iaino arbitrati sint.

Ac de nominibus his singulariter et dubie habet⁹⁾; cum iam apud antiquos de lectionibus minime constaret neque facile maior nominum perturbatio apud scriptores deprehendatur quam horum¹⁰⁾. Itaque seu *Πεφρηδῶ* a verbo quod est *φράζω* derivantes pronuntiatricem, locutricem interpretemur, aut de eo quod sit vates cogitantes aut cum luce et aurora coniunctam facientes, seu ad id quod est *φρίσσω* spectamus sicque et ipsi nomen tribuamus aequae tremendum atque sororibus, e quibus *Ἐννώ* valet Bellonam, *Ἀεινώ* Terribilem, ita ut non solum de maris terroribus, custodiae munere, pugnacitate cum eo coniuncta, verum etiam de horrore formidineque quam omnia arcana et obscura animis incutiant cogitemus, tamen libenter fatebimur parum has interpretationes certae scientiae cupidini sufficere nominaque non magis de Graearum natura lucem diffundere posse quam de Gorgonibus sororibus Medusae, Sthenus, Euryalae nomina.

Contra cunctarum nomine quod est *Γραῖαι*, Canae, eo distinctius ad mare designamur; *Γραῖα*¹¹⁾ vocatur id e colore, quem ad modum si eius candor, claritas, perspicuitas magis respicitur etiam appellatur *Γλαύκη*¹²⁾; a quo nomine maris ut nomina quae sunt Glauce, Glaucus, Glaucothoe, Glauconome insigniuntur, sic ex illa maris significatione Phorcidibus nomen est *Γραίαις*, senibus marinis. Crinium autem canities deorum marinorum, quae paene omnibus propria est, e spumae undarum¹³⁾ orta est aspectu, qui idem ad alba fingenda Nereidum corpora albasque equi marini iubas etc. fuit in causa.

Atqui per e
venerabiles
talesque se
viis monstr
Proteus et C
monstrator,
dunt ad Ny
dole non il

Atque
rum advers
plus una ab
lum quod
tre sunt, q
rae custode
nae sunt,
mutantur in
nem suam,
lus unusqu
oculus un
sit¹⁶⁾.

Esse a
sima cum r
et art. sub
quem ego
expositioni
ceptationis

Ad m
Medusam c
et ad Ocea
sito domici
praestat pr
germana,

Atqui per eam crinium canitiem maris daemones veteres, venerabiles, potentes maximeque sapientes significantur talesque se praestant vaticinio, quod in primis cernitur viis monstrandis. Sic Triton et Glaucus Argonautis, sic Proteus et Glaucus Menelao, sic Nereus Herculi viae est monstrator, sicque nec aliter Graeae Perseo viam ostendunt ad Nymphas, e sua autem marinarum dearum indole non illae sine illata vi nec ni antea dolo superatae.

Atque etiam ad mare Graeas pertinere¹⁴⁾ ex earum adversus Gorgonas condicione primum apparet, quae plus una ab parte intima ac familiarissima est. Non solum quod sorores ab iisdem parentibus et patre et matre sunt, quod propissime inter se habitant, quod alterae custodes alterarum nuncupantur, quod utraeque ternae sunt, quod utraeque a Perseo vincuntur: vel commutantur inter se ab antiquis scriptoribus ob similitudinem suam, ut ab uno Gorgonibus, non Graeis, unus oculus unusque dens tribuatur¹⁵⁾, et adeo uno nuntio unus oculus unusque dens Graeis, unus Gorgonibus datus sit¹⁶⁾.

Esse autem Gorgonas, praecipue Medusam, in arctissima cum mari coniunctione alias, in encycl. gen. scientt. et artt. sub voce „Gorgo“, planum facere studui¹⁷⁾, ad quem ego locum lectorem delego, hic sine propioribus expositionibus atque argumentis summa tantum eius disceptationis repetita.

Ad mare igitur pertinere Gorgonas atque praecipue Medusam cum ex earum ab Phorcyae et Cetone origine et ad Oceanum, quod saepius cum vi quadam affertur, sito domicilio cernitur, tum Medusa deam marinam se praestat propinquitate ac conjunctione cum Scylla, sorore germana, quae ex uno mytho inter Gorgonas refereba-

tur ¹⁸⁾ atque in earum societate invenitur ¹⁹⁾. Id denique aliquot imagines probant Gorgonem prope mare habitantem ac certissimis attributis marinis ornatam exhibentes ²⁰⁾.

Itaque ad Graearum naturam penitus indagandam vix opus esse videtur affirmatione Eustathii ²¹⁾ deas marinas eas esse dicentis.

Iam indicavimus in ea qua nobis ille mythus nunc obversatur forma nihil quam repetitionem vaticinationis dei marini vi impetratae atque monstratae heroi cuiusdam viae, qualia in uniuscuiusque factis narrari necesse esset, expressam esse; verum eo magis ad eam quaestionem num ea re etiam intimus mythi sensus contineatur, num ipsa eius summa non potius prorsus alia sit, perducimur quo ea quae maxime Graearum sunt propria, unus dens unusque oculus, minime iustam eo explicationem accipiunt. Atque sic sane mytho vestito male apparati esse visus morsusque atque ut male apparati diserte afferri ob id videntur quo et ea quae in primis ad custodiendi munus requirantur, visus scilicet acies et vigilantia atque arma ad defensionem idonea, significantur et parum sufficientia indicentur, libenterque dentem efficax esse additamentum, ad eam rem ab Aeschylo inventum, esse concedo; tamen unus oculus numerusque ternarius multo videntur graviores quam in quibus non symbolum longe reconditius divinandum sit, quae praesertim cum ad eorum genus pertineant quae in mythologia Graeca latissimam habeant gravitatem.

In my
rum famili
aut imperi
annique te
et quidem
rus in om
obtinet; re
pitibus ²⁾,
capitibus
rum speci
Graeae.

Tunc
tur si in n
narum act
alternans
derea cer
que instru
Graeis. I
num victo
cis solisqu
in tota hac
Phoreye e
heros, Sc
rum vinci

In h
litudinem
quod ad r
numina e

§. 4.

De Graeis deabus sidereis.

In mythologia Graeca, maxime in vetustioribus deorum familiis, numerus ternarius constanter observatus aut imperium per tres rerum naturae partes aut annum annique tempora significat aut ea quae ad sidera spectent, et quidem maxime tres lunae vices. Atqui iste numerus in omnibus Phorcyos familiae membris locum fere obtinet; reperitur Scylla cum tribus ¹⁾ vel bis ternis capitibus ²⁾, Geryon cum tribus corporibus ³⁾, Hydra cum capitibus ter ternis ⁴⁾, triceps Cerberus, tribus bestiarum speciebus composita Chimaera, tres Gorgones, tres Graeae.

Tumque maxime anni tempora coelumque respiciuntur si in numero ternario continuae vices viriumque divinarum actio non uno eodemque tempore praesens, sed alternans effertur, potissimum autem tunc significatio sidera certa est si id quod alternatur ad videndi lucisque instrumentum, oculum scilicet, pertineat, ut est in Graeis. Praecipueque hoc lucidum fit si talium numinum victor, qui in veteribus diis non solet deesse, lucis solisque sit deus, quod ipsum in Graeis evenit atque in tota hac in qua versamur gente longius propiusve cum Phorce et Cetone cohaerenti reperitur. Hercules, solis heros, Scyllam, Echidnam, Geryonem, Hydram, Cerberum vincit, Perseus Graeas et Gorgonas.

In his autem, quas iam semel ad Graearum similitudinem statuendam adhibuimus, non esse primum quod ad mare pertineant, sed ex eo qui nunc est mytho numina eas esse lunaria nemo iam negabit qui antiquo-

rum locos ⁵⁾ eo spectantes respexerit, qui imaginum ⁶⁾ seriem, maxime earum in quibus Gorgonei effigies, id quod saepe in solis stellarumque fit, in duodecim signorum orbis centro ut medio anni loco cernitur ⁷⁾ vel perinde tribus triquetrae cruribus, tria continue circumvolentia anni tempora symbolice designantibus, circumcluditur ⁸⁾ perlustraverit, aut quicumque Gorgonei cum Minerva rationem atque in aegide potentiam meminerit, praesertim cum illa stellis est distincta ⁹⁾ aut una Gorgonum a leone, flagrantis solis symbolo, petitur ¹⁰⁾, ut prorsus de ea similitudine taceam quae inter Perseum Medusae et Mercurium Argi peremptorem fieri non potest quin agnoscat, quandoquidem Perseus et Mercurius uterque potentissimis monstris dormientibus supervenientes uterque istis caput praecidunt, eodem insuper telo, solis falce, utentes.

Atqui Perseus etiam est victor Graearum, utque Medusam lunarem capite quaecumque intuitum sit in lapidem mutante id est lunae orbe, privat, sic Graeis oculum eripit, id est lucem, utque in Gorgonum sororum coetu varietas quaedam eo cernitur quod una mortalis, reliquae immortales sunt, sic etiam e Graeis duae sunt auxilio destitutae, una tenet imperium.

Tam perspicua est ea similitudo tamque alternantem Phorcium oculum ad res sidereas, praecipue lunae vices, pertinere evidens ut nullo modo id infitari possimus, sed potius eo adduci cum nostro iure videamur num in duabus Hesiodi Graeis, num in splendida crocea veste alterius, quam in imagine vidit, de oriente, in pulchro, fortasse fusco, alterius vestis colore de occidente sidere cogitari liceat.

Posse
bus arctissi
rium alteriu
cedet quicu
atque in ma
Id in gene
latum exhib
maris aut a
Medusam a
Pegasus, n
nam regnan
stillans et a
terram find
Eo iam
situdinem a
nibus reten
facile etiam
naturae obs
in eo quoc
nem siderea
acquiescere
cum reliqua
tionem tant
Namqu
rum natura
cyos prole
iam dudum
quae illis
Scylla et Ch
stis illa mo
rius capitib
neum ad ae

Posse autem deos marinos cum sidereis numinibus arctissime esse coniunctos, alterius naturae imperium alterius quoque paene ultro efficere, id facile concedet quicumque solem, lunam, stellas e mari escendere atque in mare demergi antiquis visas esse rependerit. Id in generibus deorum statuendis tamquam circumvelatum exhibuerunt, ut numina siderea aut liberi essent maris aut ab eius diis amata, quem ad modum Neptunus Medusam amat lunarem, liberique quos illi ea parit sunt Pegasus, nubium humor in coelo versans atque in lunam regnans, et Chrysaor, humor de coelo in terram stillans et aureo ense, id est salutari et fecundo fulmine, terram findens.

Eo iam ad illam cum terra inferisque locis necessitudinem accedimus qualem etiam ceteroquin in Gorgonibus retentam esse coargui potest; quam etsi in Graeis facile etiam ex domicilio ad Oceanum totiusque earum naturae obscuritate restitutam reddere possemus, tamen in eo quod cum earum ad mare pertinentia condicionem sideream coniunctam esse demonstravimus malumus acquiescere, tertii generis imperio per comparationem cum reliqua simillima Phorcyos prole factam ad divinationem tantum aliquam proposito.


Namque haec latior ac gravior cum tribus illis rerum naturae partibus coniunctio prope in omni Phorcyos prole monstrari potest; in Geryonis natura cum iam dudum sit probata, iam ab initio cernitur in ea quae illis propria est triformitate, atque praecipue in Scylla et Chimaera occurrit ea ratione qua e variis bestiis illa monstra componuntur, quandoquidem de alterius capitibus eruca et canis ad terram, leo et Gorgoneum ad aetherem, balaenae et humanum Scyllae caput

ad mare spectant, in altera caprea mare, leo coelum, serpens terram denotat ¹¹⁾).

Evidentissima autem haec fiunt in Hecata ¹²⁾ Hesio-
dea, triformi et per rerum naturam omnipotenti. Qua
magnae deae potentia dilabente ipsa in Gorgonem Me-
dusam, Scyllam, Cererem Melaenam dividitur, omnes
has triformes, omnes ad tres rerum naturae partes per-
tinentes, tantum quod non, ut Hecata, pari per cuncta
tria imperia potentia dominantur, cum in prima luna, in
altera mare, in tertia terra inferique prae ceteris valeant.
Tamen valde mature cum harum quoque trium deorum
potentia his quoque quae significantur extinguuntur,
ipsae plane ad portenta, plane ad daemones delabuntur,
servata triformitate, quae iam in Gorgonibus, magis ma-
gisque conformata ut sidereorum numinum natura, per-
inde atque in pallida quae postea dea facta est lunae
Hecata, perinde atque in Geryone in occidentis regioni-
bus habitante ad tres lunae vices spectans cernitur.

Iamque etiam Graecas satis mihi demonstrasse videor
olim potentis huius prisci cunctas tres rerum naturae
partes amplectentis deorum generis fuisse posteaque ad
daemonum locum delapsas maxime in mari potentiam
suam ostendere, ut tamen earum ad res sidereas perti-
nentia nequaquam prorsus deleretur. Ex qua apud Ae-
schylum unum illum oculum, Hesiodo non notum, inve-
nimus de priscis populi fabulis repeti, vix tamen intel-
lectum marinarum deorum naturae inseri atque tributo
iis ab illo Gorgonum custodiae munere explicari, totum
mythum ex eo exemplari quod in Herculis itinere ad-
erat transferri. Iamque quae Aeschylus inchoaverat am-
plius exhaurientes seriores nihil quam vaticinantes ac vi-
cogendas maris daemones eas esse noverunt. Propter

id ipsum omniaque quae supra exposuimus vehementer errarem si earum personis certum quiddam eorum quae in rerum natura fiunt vel proprium quiddam quod ex lege naturali fieret expressum esse arbitrarem, id quod a recentioribus quibusdam tentatum est ¹³).



G.F.N. 1862.

§. 5.

De artis operibus ad Graearum mythum
pertinentibus.

*Und sagt! wie kam's, wie konnte das geschehen?
Im Bilde hab' ich nie Euch Würdigste gesehen.*

Mephistopheles ad Phorcycadas in Goethei Faust. p. alt.




G.F. Neise sculp. 1862.

Quamquam innumerabilis prope antiquorum quae ad nos devenerunt monumentorum vitam et facta Herculis, summi prae ceteris gentis Graecorum herois, depingentium multitudo non adaequatur iis imaginibus quae Persei factorum orbi datae sunt, tamen vix facile fictores ullam earum huius mythi partium quae nobis per scriptores notae sunt se effugere sunt passi ¹⁾; quin non-

nulla eius
mus. Vide
Medusam n
induentem,
aut falce a
Medusae ca
id instituer
fonte vel p
nes ante M
riis, ut ea
fugientem E
ferentem v
singulares
cum fortass
imagines in
apud Neptu
irato ei qu
deatur ⁵⁾.
Perseo Gon
scopulo vi
non deest
mones fier
seo sponsa
non perfide
eum fieri.
non minus
illae imagin
Itaque
omnibus m
id quoque
pictum ad
esse eius f

nulla eius discrimina nisi artis operibus non cognoscimus. Videmus Perseum instrumenta contra Gorgonem Medusam necessaria a Nymphis poscentem, videmus arma induentem, a Mercurio volandi praecepta accipientem ²⁾, aut falce a Minerva data certamen parantem, sive illa Medusae caput arena describat ut feriendi exercitia in id instituere possit, sive eiusdem imaginem monstret fonte vel puteo, aut scuto suo vel speculo ³⁾. Gorgones ante Medusae interfectionem secure dormientes variis, ut ea ipsa, modis fictae sunt ⁴⁾; tum et propere fugientem Perseum videmus et quiete Gorgoneum secum ferentem vel Minervae tutrici suae tradentem. Prorsus singulares neque in scriptorum locis nobis notis positae, cum fortasse in Aeschyli Phorcidibus nitantur, eae sunt imagines in quibus Medusae sorores Perseum accusent apud Neptunum, caesae amatorem, aut Mercurius a deo irato ei qui in sua est tutela impunitatem repetere videatur ⁵⁾. Valde frequentes sunt imagines liberatae a Perseo Gorgonei ope Andromedae, quam aut solam in scopulo vinctam aspiciamus aut Perseo appropinquante; non deest pugna; tum liberatam videmus deduci, sermones fieri post rem gestam, deinde Gorgoneum a Perseo sponsae suae ostendi ⁶⁾, ipsum ab ea discedere, nec non perfide impetum a propinquis vel priori sponso in eum fieri. Denique ea quae Seriphum regressus gessit non minus ab artificibus neglecta sunt quam iocosae illae imagines Persei Satyros Medusae capite terrentis.

Itaque illico vix credibile est tam copiose ceteris omnibus mythi partibus descriptis futurum non fuisse ut id quoque quod de Graeis egerit Perseus imaginibus pictum ad nos devenerit, cum praesertim ex eo orsa esse eius factorum series narretur. Tamen multum ab-



se sculp. 1862.

est ut illae Phorcyios filiae certissimum inter ea quae arte ficta sunt locum obtineant. Quo cum monstrat Fausti Goetheani locus quem huic parti praeposui, tum ante tempus non admodum longum Chr. Petersen omnino potuisse eas fingi negavit ⁷⁾, propter corporis figurae difficultatem, ut tamen Hesiodum non respexisse videatur, prorsus humanas nec ulli corporis detrimento obnoxias Graeas noscentem, ut praeterea non apud animum rependerit perfectae saltem Graecae artis temporibus non facile artifices ab ullo proposito, quia id ad effectum duci non posse putarent, abhorruisse, contra fortasse aliquem ad tales res eligendas fuisse propensum, quo quippe copia daretur id quod foedum atque abnorme videretur artis illecebris ad iucundum quemdam ac pulchritudinis legibus consentientem aspectum redigendi.

Fuit Panofka qui, ut saepissime, audacissima ratione in hunc sepositum mythum incumberet et nonnullis locis Graeas pictas esse probare studeret ⁸⁾, nequaquam tamen ut non impugnaretur eius opinio. Sunt enim qui homines docti sine magnis haesitationibus illum secuti sint ⁹⁾, contra alii adeo condicionibus se circumreperunt ut quid vere sentiant de re non facile dignosci possit. Quin nuper acres argumentisque valde spectabilibus instructae impugnationes ac dubitationes Wieseleri ¹⁰⁾ id effecisse videntur ut rursus Graeae ex eorum numinum Graecorum orbe quae arte ficta esse constat retrusae sint.

Operae erit pretium ad rem plane perspiciendam denuo has quaestiones suscipere.

In Graearum mythum respicientes tres animadvertimus condiciones in quibus positas fictores illas propo-

nere possent
des et neces
que esset si
numero non
denique sui
referri poter
das nos par
asportare de
potuisse: au
manam iis t
cuturi essen
mano iis da
quidem ratio
tes, si quas
denique max
bolico tantu
ciscemur au
Graeca ab i
sit considera
ut ex daem
pore proced
animalis, cu
c. Sirenibus
natur plane

De Perseo e

Graeas
bitas in un
aëneo Volce

nere possent; aut a Perseo petitas, aut Gorgonum custodes et necessitudine cum sororibus coniunctas — mirumque esset si in tanto Gorgonum ac Medusae imaginum numero non semel hae quoque custodes essent fictae; denique sui ipsarum causa in rerum fingendarum orbem referri poterant. Iam si ad Graearum imagines venandas nos paramus, ad viam quasi indagandam hoc animo asportare debemus his modis ab artificibus illas fingi potuisse: aut secundum Hesiodum integram figuram humanam iis tribuere poterant, aut, si Aeschyli verba secuturi essent, vel, opinor, avis figuram cum capite humano iis dari licebat, vel etiam universam cycni, qua quidem ratione adhibita praeterea omnes incommoditates, si quas omnino aegre ferrent, evitarent; cycni figura denique maxime etiam tum facile erat idonea si symbolico tantum modo Graeae significandae essent. Nanciscemur autem, si quomodo Graearum typus in arte Graeca ab initio fictus et magis magisque transformatus sit consideraverimus, id quod valde est extraordinarium ut ex daemonibus ab origine prorsus humanis fictis tempore procedente partim tandemque prorsus fieret figura animalis, cum contra in plurimis artis Graecae typis, v. c. Sirenibus, Graearum figurae tam similibus, cursus certatur plane inversus ¹¹⁾.

§. 6.

De Perseo et Graeis in operibus artis obversantibus.

Graeas plena figura humana in Persei fabula exhibitas in unico tantum monumento invenimus, tripode aëneo Volcentino Etruscae operae, qui bis editus est, pri-

mum plane indiligenter a Campanario ¹⁾, a quo repertus est, tum praeclara effigie a Duce de Luynes ²⁾.

Praecipuum eius copiose distincti vasis, cuius generis praeter hoc nonnulla exemplaria persimilia habemus, e sex consistit imaginibus caelatis, quae continue una trium personarum alteram duarum excipiente in superam trium pedum partem convergentes pro externo cortinae ornamento erant.

His Dux de Luynes celebres heroes Graecos consecrari cognovit, neque dubium est quin simile aliquid hic fictum esse statuendum sit. Hic copia non data in accuratiorem huius valde memorabilis operis interpretationem exspatiandi hoc addo coniunctas in ternis minoribus imaginibus inter se personas Minervam et Herculem, Minervam et Perseum, Dioscuros mihi me cognoscere posse videri, dum in reliquis maioribus insignia illorum heroum facta invenire voluerim, eoque magis meo iure quod etiam in tribus monumentis simillimis Hercules, Perseus, Minerva ficti sunt ³⁾.

In nostris quaestionibus una tantum de illis maioribus imaginibus respicienda est, quae quarta est insignita apud Ducem de Luynes (Tab. II. n. 1.) ⁴⁾. Artis ratio plane ei similis est qualis in antiquissimis metopis Selinuntis occurrit, praecipue in eo quod Medusam a Perseo interemi ostendit. Idem constans consuetusque lentus risus, idem corporis a fronte, pedum prorsus ab obliquo aspiciendorum habitus. Figura feminea, cuius longis cincinnis capillus de humeris defluit, veste induta quae brachia et aliquantulam crurum inferiorum partem nuda relinquit, laeva humerum capit mulieris prae se stantis seorsumque spectantis, quae, pari modo vestita, sinistra vestem Spei qui dicitur habitu prendit,

dextra praec
praeceps de
versa est, c
brachio geri
imitantibus

Dubium
Graecas prop
traturus est
notum. Ha
tum tempor
rius humer
Perseo pro
oculum sibi
ipse raptus
detur. Faci
simpliciter
bus finxerit
habito; vix
manifestam
nihil habet
iam a Pers
rit illico ru
ab artifice

Num f
mediae, qu
nam portae
Graecis cyc
ut marinaru
sint, id e
huius de in
vocatis qua
crimen repo

dextra prae pectore pateram tenet. Haec paullum in praeceps declinata ad iuvenem imberbem prae se stantem versa est, chlamyde, cuius unam laciniam super sinistro brachio gerit, et calceis aut maioribus alis vel pannis alas imitantibus vestitum et dextra oculum mulieris tangentem.

Dubium non est quin hic duas Hesiodi aliorumque Graeas propositas habeamus, dum Perseus in iis perpetraturus est id quod primum per Aeschylum nobis est notum. Habemus duas Graeas, alteram, quoniam est tum temporis plane caeca idcircoque auxilii inops, alterius humerum capientem, alteram paullum pronam, a Perseo pro praestato monstrandae viae officio ereptum oculum sibi restitutum iri sperantem; hoc enim, non ipse raptus, fictum certissime sumendum esse mihi videtur. Facilem sibi proposuit artifex operam, cum Graeas simpliciter binis oculis, binis certe oculorum foraminibus finxerit, nulla eius qui erat de dente mythi respectu habito; vix enim liceat credere pateram, in effigie satis manifestam, quae quidem in Graeae manu posita non nihil habet miri, significationem esse dentis, quem Graea iam a Perseo receptum postquam oculus restitutus fuerit illico rursus infixura sit. Tota res valde simpliciter ab artifice et mente comprehensa et tractata est.

Num forte aves aquatiles, inter cygnos et anates mediae, quae proxime sub illa imagine tamquam coronam portae efficientes collocatae sunt, symbolice pro Graeis cygnorum forma praeditis vel tamen pro earum ut marinarum dearum naturae significatione accipiendae sint, id eo libentius decernere omitto quo statim in huius de imaginibus horum numinum valde in dubium vocatis quaestionis initio fallacis cuiusdam alucinationis crimen reportare vitasse velim.

Alias Graearum cum Perseo prorsus humane figuratarum imagines non habeo afferendas; verum hic amplius monumentorum numerus in censum venit quae eas in illa fabula avium corporibus et capitibus puellarum compositas fingant, quas Panofka Graecas esse voluit, tamen acerrime contra contendendo negavit Wieseler. Ac primum quidem gemmae caesae respiciendae sunt, quae illam rem pari prope omnes modo, certe, id quod constat, ex certa ac stabili ratione repetunt.

E quibus ad hoc tempus hae mihi sunt notae.

1) Figura e cygni corpore et puellae capite longe crinito composita, ab obliquo ficta, prae qua, paulum ad eam inclinatus, vir nudus imberbis, cuius chlamys super sinistro humero pendet, caput tectum est pileo, in eo occupatus est ut laeva atque intento oculorum obtutu sincipiti eius aliquid intendat, dum altera fortasse manu caput figurae tenet. Gemma caesa Musei Reg. Berol., depicta apud Panofkam (Verlegene Mythen. In commentatt. soc. Reg. Berol. sc. phil.-hist. cl. 1846. tab. I. n. 4 et Creuzeri symb. II. I. tab. VI. n. 25, p. 203), secundum Winckelmannum (Descript. des pierr. gr. d. f. B. Stosch II. VIII. n. 407): „Mercur, eine Figur bildend, deren Körper und Hals einem Schwane ähneln, und deren Kopf ein halbverschleierter Mädchenkopf“, Tölken (Erklär. Verzeichn. d. ant. vertieft geschn. Steine d. Berl. Mus. II. 4. n. 59, p. 55): „Mercur; vor ihm ein Vogel mit langem Halse und menschlichem Haupt, ohne Zweifel eine Sirene, als klagende Dienerin der Proserpina, so dass Hermes hier als Psychopomp dargestellt ist“; consentiente Gerhardio (Arch. Anz. 1854. p. 93), Panofka (l. c. p. 5): Perseus et Graea. „Ob die vorgebeugte Haltung unseres Perseus und das Halten des weiblichen Kopfes mit Berücksichtigung der geschlossenen rechten Hand, welche vielleicht etwas hielt, auf den Moment sich beziehen, in welchem Perseus Aug' und Zahn empfangen hat oder sie wieder einsetzen will, wage ich nicht zu entscheiden.“ Cui assentiuntur Creuzer (l. c. p. 203), Schömann (De Phorcynae eiusque familia p. 30) et de Witte (Nouv. Ann. de l'Inst. II. p. 338 sq.). [Tb. I. n. 2].

2) Gemma
pana, tantum
rae ante posi
Gemm. d. Ins
3) Prorsus
tis. Collum
simili aliquid
Cent. V. n. 4
V. tab. LXV.
1839. p. 100
einem Stäbch
dessen Kopf
Wieseler (l
modellirt den
Gans oder ei
res seinem T
4) „Herme
Panofka Pe
collectionis q
Mayero Liverp
p. 93.
5) Arch. G
Gemmenabdr
ginals mit d
ten Helden g
stellungen da
diese Darstell
seus.“ Gerh
ibid. p. 531
6) Alatus i
neam inclina
crura exit lac
medio stipes
significanter
Aemili de W
Winc
pretationes

2) Gemma caesa prorsus similis collectionis quae dicitur Campana, tantum quod hic sinistra iuvenis manus, quae collum figurae ante positae prensura videtur, plane manifesta est. Impronte Gemm. d. Inst. arch. Cent. V. n. 12. [Tb. I. n. 3].

3) Prorsus similis, tantum quod iuveni deest tegumentum capitis. Collum capit figurae iamque in capite eius instrumento stili simili aliquid agit. Gemm. caes. collectionis Vidoni in Impr. Gemm. Cent. V. n. 13 et apud Wieselerum Denkm. d. alten Kunst II. V. tab. LXV. n. 840, quam interpretatus est Braun (Bullet. d. Inst. 1839. p. 100) pro „Prometheus, den andere für Mercur halten, mit einem Stäbchen in der Hand, im Begriff den Menschen zu bilden, dessen Kopf auf dem Körper eines Schwans oder einer Gans sitzt.“ Wieseler (l. c. p. 26), „Prom., unbärtig und mit der Chlamys, modellirt den Kopf eines Menschen, welcher auf dem Halse einer Gans oder eines Schwanes sitzt, so dass er den Kopf dieses Thieres seinem Thongebilde einverleibt zu haben scheint.“ [Tb. I. n. 4.]

4) „Hermes Psychopompos und eine Sirene, ist ähnlich den von Panofka Perseus und Gräa benannten Gemmen.“ Gemm. caes. collectionis quae olim fuit B. Hertzii, nunc est in collectione a Ios. Mayero Liverpoolae urbi donata. Ex Gerhard. Arch. Anzeig. 1851. p. 93.

5) Arch. Gesellsch. in Rom. „Von Herrn Matranga wurde der Gemmenabdruck eines angeblich aus Paestum herrührenden Originals mit dem Bild eines durch die Keule des Herk. bezeichneten Helden gezeigt, welcher einem Vogel das in ähnlichen Darstellungen dann und wann menschenähnliche Haupt abschneidet; diese Darstellung bleibt einstweilen dunkel. Nach Panofka: Perseus.“ Gerhard. Arch. Anz. 1853. p. 227 et in indice appenso ibid. p. 531: „Perseus und die Gräa?“

6) Alatus iuvenis nudus imberbis cum petaso, ad figuram femineam inclinatus, quae supra nuda infra in avis corpus avisque crura exit laevaue vas tenet quod haud facile definiri possit; in medio stipes e solo emergens, quae supra nuda videtur arbor, significanter fictus. Gemm. caes. collectionis privatae principis Aemili de Wittgenstein, Visbadae 5). [Tb. I. n. 5].

Winckelmann et Tölken quas tentaverunt interpretationes pro sublatis habendae sint; verum accura-

tius in eam interpretationem, a Braunio statutam, a Wieselero acceptam, qua Prometheus hominum creator illic est fictus inquirendum est.

Gravissimae igitur dubitationes statim in mascula figura Promethei nomine nuncupanda inferri possunt. Nam quod iuvenis ille est et imberbis, alias id utique mirum, eius quidem rei in Etruscis monumentis, in quibus solis nunc versamur, ratio habenda non est, sed offendendum est in chlamyde, quae et omnino Prometheo, multo potius illi exomide vel himatio instructo, et maxime in fingendo versanti artifice, contraria est atque inconueniens. Quod si pileum, non magis Prometheo quam omnino fictori aptum, in quo utique meandi, proficiscendi inest significatio, addiderimus, in mascula figura certe nihil reperitur cur Prometheum agnoscere liceat, eoque minus dubitamus cum Winckelmanno et Tölkenio Mercurium aut certe deum vel heroa illi parem esse fictum statuere quo chlamys et petasus in primis inter ipsa eius dei signa sunt.

Quid autem est quod iste Prometheus quem voluerunt esse agat? „Er modellirt einen Menschen, dessen Kopf auf einem Gänse- oder Schwanenkörper sitzt.“ In ea opinione Braun et Wieseler cogitant de illo ioco, qui e lyricis Graecis ⁶⁾ in Horatium transiit ⁷⁾, e quo Prometheus in hominibus fingendis etiam animalium quorundam propria iis admiscuerit. Qui poetarum iocus num re vera arte in conspectum datus sit ab initio valde ambigi potest. Cuius rei principale argumentum solet afferri celebris ille sarcophagus Picclementinus ⁸⁾, in quo iuxta Prometheum homines fingentem taurus et asinus cum inscriptione formati sunt. At nihil displiceat consentire Gerhardio ⁹⁾, qui per has bestias nihil nisi eum

statum terrae qui fuerit ante homines creatos significari putavit. Sed esto; illa fabulae variatio re vera a fictoribus usurpata sit, — affert autem Panofka ¹⁰⁾ nonnullas gemmas caesas quae eo monstrare videantur, quamquam illas non nosco nec sciam unde is homo doctus eam rem e copiosissimis collectaneis hauserit —, fortuitone factum esse videretur ut et scriptores et fictores nulla animalia nisi quadrupeda ad id ipsum adhiberent, quae quidem proxime essent hominibus cognata?

Quo modo fictor in id incideret ut hominem ex ave faceret prodire, id quod in illis gemmis caesis inveniretur, quique cogitari posset illam fingendi rationem tam convenientem aliquot artifices existimatuos fuisse ut in stabilem eam reciperent usum? Atque ubi legitur ex animali Prometheum homines fecisse? Nempe scriptorum loci, si quis modo diligentius eos inspexerit, id exhibent Prometheum cum vitam daret vel aliqua propria tribueret figuris suis nonnullas corporis humani partes bestiarum proprietatibus instruxisse. Estne porro Promethei istius habitus eius qui in longiore ac laboriosa opera versetur, cum praesertim ei desit sedes, quae non facile alias abest Prometheo homines formanti, et non potius eius qui festinanter aliquid atque in transitu agat? Nonne in eo quod collum illius figurae prendit inest impediendam illam esse quo minus aliquo modo futurum sit ut resistat? Nonne in iis imaginibus quas per n. 1 et 2 insignivi aliquod operae instrumentum utique desideraretur? Quid? fictorem vel inscientissimum tam imperitum licet cogitare ut grande caput humanum in procerum avis collum vel ex eo faceret fingi, idque et crinibus et in universum ab omnibus partibus integrum, ceteroquin tota remanente avis figura? Plus cau-

sarum contra Prometheus non allaturus id addo habere nos scilicet permultas certissimasque illius hominum creatoris imagines, quae et ipsae istis quas idem ostendere putant imaginibus directe oppositae sint ¹¹⁾; ut tam definite quam Wieseler Persei et Graeae nuncupationem repudiat mihi ista Promethei repudianda videatur.

At graves fuisse causas necesse est quae virum doctum adducerent ut Graearum interpretationem reiiceret. Primum est igitur quod unus dens non indicatus sit; at hinc sine dubio nimirum fictori liceret illam monstratu sane difficillimam notam, si ceteris partibus Graea dignosci posset, omittere, praesertim cum iam ab obliquo ea proponenda necessitatem eius significandi sibi sustulisset, hinc, ut iam supra memoratum est, unus dens unusque oculus Graeae apud totidem scriptores omissus atque allatus est.

Altero loco fictum esse oculum ait Wieseler; quidnam proinde Perseum in Graeae capite tunc velle? Cum ab obliquo aspiciendae sint, quo minus distinctius de Graearum oculis iudicemus prohibemur; neque tamen id egisse artificem arbitror ut ea fingendi ratione operae difficultatem elevaret, quo fere modo Graeae ipsae Mephistopheli apud Goetheum, quo facillime e suo numero videretur ¹²⁾, standi habitum consulunt, sed propterea id fecisse quod maxime ea ratio videretur comoda ad duas personas quarum altera prae altera stans in ea aliquid esset actura formandas. Atqui unum videmus oculum, sed estne hic oculus cernens, pupilla praeditus, et non foramen tantum oculi ¹³⁾? In huius paragraphi introitu egimus de imagine qua duae non dubiae Graeae binis oculorum foraminibus cernerentur, idque eo ipso temporis momento quo unus iis eripere-

tur oculus.
erat vel cer
Graearum oc
binis oculor
ut uni tantu
ris penes P
pupilla iness
tium in utra
dum erat,
illa vasis q
tur¹⁵⁾. Sim
imaginibus,
Persei vers
suspicitur,
rapturus ve
tutius ad
erit Perseu
in uno qu
qui trans c
saltem qua
patum esse
tem negoti
dit; quae
tenet ac s
promittit;
vel raptum
que in n.
similis usu
dum melius
Figura
simili, qua
artis et E

tur oculus. Quod si omnino talis fingendi ratio usitata erat vel certe licebat, duobus modis artifex ad unum Graearum oculum signandum uti poterat; scilicet aut cum binis oculorum foraminibus fingendae erant, ita tamen ut uni tantum unius inesset pupilla, aut, si tum temporis penes Perseum esset oculus, nulli omnino neutrius pupilla inesset; aut praeter bina oculorum foramina tertium in utraque, quod ipsum oculum contineret, addendum erat, quale in Polyphemo¹⁴⁾ ac similiter in nota illa vasis qua Iupiter Triopas est pictus imagine inventur¹⁵⁾. Simile aliquid in iis de quibus nunc disserimus imaginibus, quamquam tertius oculus non conspicitur, Persei versus caput figurae motu expressum esse aliquis suspicetur, ita ut is illum supero capiti infixum oculum rapturus vel redditurus esset; verum, quoniam deest quo tutius ad eam rem probandam nitamur, sumere opus erit Perseum hic, quamvis id valde incondite factum sit, in uno qui vere est oculo, et quidem eo potissimum qui trans conspectum sit positus, — eo enim imagines saltem quae sunt n. 2 et 3 spectare videntur —, occupatum esse, vel rapientem vel restituentem. Tale autem negotium certo totus figurae masculae habitus prodit; quae fortasse manu clausa in n. 2 et 3 oculum tenet ac si viam sibi monstraverint eum redditum iri promittit; quo minus resistant aut quo facilius rapere vel raptum restituere possit collum capit Graeae, quique in n. 4 significatus est instrumenti clavo vel stilo similis usus valde convenit ad oculum commode tollendum meliusve infigendum.

Figura autem Graeae nequaquam sine omni esset simili, quae quippe frequentissimas in priscae Graecae artis et Etruscae operibus, de quibus infra agendum

erit, avium cum humano ore figuras sequatur; praecipue autem ad Graeam pertinere praeterea longi et in n. 2 et 3 singulari formati diligentia capilli videntur, qui quidem in his ipsis miris numinibus partes agant haud leves. Etenim senectus figurae si naturali capitis ornatu ostendenda foret proximum erat ut illa calva aut, si quis colorem posset adhibere, albis canisve crinibus proponeretur. Atqui utrumque in Graeis usurpari non poterat, cum iis non calvum caput, sed potius albi capilli tribuerentur, quos colorando signari per unius coloris lapidem non licebat. Itaque eo fictor rem expediebat quod longos iis, sed proprie dispositos atque super tergum digestos daret capillos, quae senectutis notandae ratio etsi rara illa quidem est, tamen nequaquam nullis probatur exemplis, qualis quam maxime est nota vasis imago Peleum ¹⁶⁾ exhibens. Iam autem eximie vestitus Mercuri proprius convenit Perseo; qui etiam alias illi ab omnibus partibus, vestitu et indole, par est: uterque gerunt pileum alatum ¹⁷⁾, uterque sparsim galeam ¹⁸⁾, uterque alatis utuntur calceis, quin ex uno mythi discrimine Mercurius cum eos a nymphis accepisset, alterum sibi retinuisse, unum tantum Perseo tradidisse dicitur ¹⁹⁾; eximia velocitate ut Mercurius sic Perseus erat insignis ²⁰⁾. Attendendum autem est Perseum in his imaginibus prorsus sine eis quae illi tribui solent instrumentis cerni; quod iure fit; nimirum via a Graeis monstrata tum demum ad nymphas perventurus erat quae ei Orci galeam, peram, calceos alatos essent traditurae.

Verum unam in illis gemmis conspici Graeam, id nos mire habere non debet. Namque etiamsi similibus quis rem illustrari ac probari concedere noluerit, — quod perinde Medusa cum a Perseo interficitur sola,

sine sororibus
quam duae
rum formati
vera cum u
satis esset,
gregis quan
simpliciter

res necessi

Graeas form

Ex eo

Gerhard

ram a Per

praeberet,

fuisse ut c

enim, si A

Phorcidas

Hinc

cycnis vel

pretationem

seo et Gra

describo h

1) Iuvenis

cycnum agge

ricerche s. f

n. 23. [Tb.

2) Iuvenis,

eiusdem gen

cueil d'antiqu

3) Vir alata

Monum. ined

4) Vir alata

collectionis F

5) Vir imbr

sine sororibus, ficta invenitur, porro quod multo saepius quam duae cum illa Gorgones sorores una tantum earum formata est²¹⁾, — neque porro eo quod Perseo revera cum una tantum Graea certamen erat, quam fingi satis esset, nec denique eo quod artifex tribus fingendis gregis quamdam speciem non bene erat evitaturus, eam simpliciter iustissimam causam afferre possumus quod res necessaria artifici erat facienda, cum ad plures Graeas formandas spatium ei non suppeteret.

Ex eo quod ad n. 5 harum gemmarum adnotavit Gerhard intelligi potest illam imaginem, quamvis figuram a Perseo superatam integra cycnorum forma fictam praeberet, tamen ceteris quae notae essent tam similem fuisse ut cum iis sine dubio posset conferri. Profecto enim, si Aeschylī et Tzetzae verba respexerimus, sic Phorcidas formare quam maxime artificibus licebat.

Hinc ad nonnullas ducimur imagines eos qui in cycnis vel avibus occupati sint proponentes, quae interpretationem magis convenientem quam haec est de Perseo et Graeis nondum nactae esse videantur. Afferro ac describo has:

1) Iuvenis nudus, defluente super humeros chlamyde, a tergo cycnum aggredientem. Canthari forma ap. Gerhardum *Nuovo ricerche s. forma d. vasi gr. Annali d. Inst. 1836. tab. d'agg. C. n. 23. [Tb. II. n. 4].*

2) Iuvenis, cycnum vel anserem currendo petentem, dum alter eiusdem generis avis quiete post eum stat. Vas ap. Caylum *Recueil d'antiquités I. tab. XLVIII. 3, cf. p. 112*²²⁾.

3) Vir alatus, pone cycnum currens. Vas apud Micalium *Monum. ined. tab. XCVI, n. 5*²³⁾.

4) Vir alatus cum barba, inter duos cycnos positus. Aryballus collectionis Feoliana²⁴⁾.

5) Vir imberbis, in humeris et pedibus alis praeditus, ruenter

festinans, ut in dextrum genu concidisse videatur, inter duas cum humanis capitibus aves. Vas Volcentinum ap. Micalium l. c. tab. XLIII. n. 2 et Panofkam Perseus und die Gräa tab. I. n. 2 et 2a. [In hoc libello effigies n. 3].

6) Iuvenis cum humerorum et pedum alis, vehementer se promovens, inter duas aves. Vas in Mus. Brit., ap. Micalium l. c. tab. XXXIX. n. 3, cf. Birch. et Newton. A Catalogue of the Greek and Etruscan vases in the British Museum I. p. 40. n. 442. [effigies n. 2]. 25).

Haec igitur n. 1 ab illa quam antea sub n. 5 explicavimus gemma eo tantum differre videtur quod hic a tergo Perseus cycnum seu Graeam petit; sed id ipsum etiam apud scriptores legimus a tergo ei insidiari Perseum studuisse.

Ad interpretationem haec monumenta in Graeorum mythum referentem propius illustrandam faciant haec in universum exposita.

In vase et Cayli et Musei Britannici quamquam valde aliquis anseresne an cycni ficti sint dubitare poterit, tamen hic semel monuisse sufficiat in vetustioris stili vasis singulas quidem maiores, maxime de rapacibus, bestias, v. c. leones, capros, tigres, capreas, bene ac distincte indicatas esse, in avibus vero fingendis rationem tam ambiguam exerceri ut paene, quem ad modum in plantis et floribus, de avium generibus quae perierint cogitare alicui libeat; ni potius causae sint cur illa ambiguitas artis statui parum iam progresso et fictorum inopiae fugaces aves recte arte sua occupandi tribuatur. Quae formandi ambiguitas nusquam evidentior est quam in ipsis cycnis et anseribus, cum etiam seriore tempore, v. c. in Ladae imaginibus, apertissime eadem deprehendatur²⁶). Quod cum ita sit, si graves causae quam interpretationem probabilem faciant, bestiae cuius-

piam, max
eius specie
efficere.

Persei
renda est in
oculos prop
ciunt ursi p
quantur; ta
tes certame
vasis inven
tis in temp
habendum s
exemplar es
pretationem
vias sciscite
et laboribus
verius sum
summa cele
qualis erat

Barbat
rus esse ne
ei in n. 3-
tum alae e
mum quod
tamquam r
humerorum
adderentur
clarius illus
prodigos in
de capitis
quam de a
quibus non

piam, maxime avis, effigies non prorsus cum naturali eius specie conveniens ut illa abstinemus non debet efficere.

Persei uno genu pronixi imago inter aliquot referenda est imagines quae quam maxime festinantes ante oculos proponant. Tales v. c. Gorgones sorores conspiciunt ursi praepropero cursu sororis interfectorem persequuntur; tales etiam pugnae daemones qui vel incitantes certamen vel dirimentes aliquando in veteris stili vasis inveniuntur. Quamquam est ubi ille habitus quietis in tempus post magam contentionem sumptae signum habendum sit, cuius rei Mercurii cum marsupio sigillum exemplar est²⁷), atque hic Persei genu nixi eam interpretationem esse facile putaverimus ut, dum Graeas sibi vias sciscitentur, in temporis momentum ab itineribus et laboribus ac certamine quiescat; verum id quod est verius sumere mihi videor si hanc usitatam eius qui sit summa celeritate, festinantia properaque fuga insignis, qualis erat Perseus, formandi rationem statuerim.

Barbatus in n. 4 Perseus in veteris stili vasis mirus esse non potest; sed verbo egent humerorum quae ei in n. 3—6 tribuuntur alae, cum proprie pedum tantum alae ei deberentur, quae et ipsae, cum post id demum quod in Graeis gesserat ei a nymphis datae sint, tamquam re futura praecepta fictae forent. Atqui illae humerorum alae non factum est nisi fictorum arbitrio ut adderentur ad celeritatem eius quem formaturi essent clarius illustrandam. Qui perinde alarum tribuendarum prodigos in Gorgonibus sese praestiterunt; in quo minus de capitis quae Gorgoni Medusae darentur alis cogito quam de alatis eius sororibus Perseum insequentibus, quibus non modo humerorum sed etiam pedum alae

datae sunt; nec raro etiam in ipso velocitatis antistite Mercurio alae animadvertuntur varie cumulatae.

Et his quidem ad memorabile Musei Britannici vas²⁸⁾ ducimur, quod Panofka²⁹⁾ effinxit et ad Perseum cum Graea retulit. Quod ex eius interpretatione Perseum exhibet iuvenem currentem, cum magnis humerorum alis alatisque caligis, veste stricta cinctaque, e mitra corio facta, sine armis; Mercurium respicit, qui pari veste amictus et alatis caligis praeditus, petaso caput tegente, sinistra longum tenente caduceum, lente progreditur, dum manus docentis instar porrigit. Prae quibus a dextra Graea, avis cum pulchro ore humano, mirabunde innixa. [Tb. I. n. 1].

Huic quoque Panofkae interpretationi intercessionem fecit Wieseler³⁰⁾, et quidem primum ea causa quod hic non semicycno, sed nihil quam cum capite humano ave proposita ea quae ad Graeam formandam requirerentur omnino non adessent. Verum id esse nemo infitias ibit: nam cum cycneum corpus nullum appareat potius haec figura ex iis est quae vel plurimae in vetustioris stili vasis inveniuntur³¹⁾, sive singulatim, sive binae, sive multifariae³²⁾, tum iuxta deos³³⁾, iuxta homines³⁴⁾ et inter bestias³⁵⁾: omnino figura frequentissima, quam dilectissimam fuisse etiam in noctua cum capite et armis Minervae saepissime ficta cernitur³⁶⁾ maximeque in Sirenum genere probari potest³⁷⁾. Sed ista interpretatio nequaquam in omnem earum figurarum turbam sufficit, ac suo iure Panofka³⁸⁾ sub Sirenum titulo aliquot feminarum in aves mutatarum imagines gravissimas exstingui monet. Cui interpretationi cum id quod iuxta tales cum femineis capitibus aves etiam masculae, barbatae³⁹⁾ reperiuntur satis obstat, tum sine du-

bio in certaminibus depingendis ad mortuorum animas illas pertinere demonstrari potest ⁴⁰); certa est etiam pertinentia Bacchia ⁴¹); prorsus similem formandi rationem habent Harpyiae ⁴²); neque in multis illis veteris stili vasorum imaginibus longas avium series exhibentibus ⁴³) ea quae saepe inter illas cum capite femineo conspicitur avis magis iusta causa ad unam ex Sirenibus referri videtur posse. Non hic est locus quo hoc totum figurarum mixtarum genus ad disceptationem vocemus, quamquam ea eximium delectationis atque fortasse etiam fructus praebitura fuerit: eo usque res constare mihi videtur quod vasorum vetustioris stili pictores in monstra qualia sunt Sirenes, Harpyiae, Iynges, Celedones, similesque daemonas obscuras unicam fingendi rationem, ut aves cum capite humano formarent, usurpasse et spectatoribus e tota imagine, attributis, vel oris corporisque gestibus singularum effigierum significationes dignoscendas reliquisse iudicandi sunt; quem ad modum Sirenes et Ulysse formato et instrumentis musicis ⁴⁴) etc. adiectis, aut ut naeniae cantrices ploranti gestu insigniebantur. Qualia attributa ubi primum addita sunt illis figuris praeter caput humanum brachia quoque et manus, vel etiam integre humana superior corporis pars, tributa esse solent. Atqui persaepe nihilo minus interpretationem impetrari non posse aequè negandum non est atque persaepe certe fictores illam imaginem valde usitatam inter alias bestiarum figuras sine sua propria significatione inseruerunt; verum non minus certe in illa figurarum compositione persaepe etiam symbolica significatio cernenda erit.

Iam autem etiam in Graeis formandis, re per me licet difficili, facile fictores hac in iis quae similiter

figurata essent usitata ratione usos esse, qua in re omnino antiqui artifices haud ita fuerunt anxii⁴⁵), mirum esse non debet; certe ista forma quae Graearum figuris nobis notis vel e scriptoribus animo colligendis non plane convenit illa quidem, si sunt quae utique ad Graeam designent prohibere non debet quo minus etiam illic Graeam esse fictam iudicemus. At ea ipsa sententia est Wieseler non convenire imaginem ei rei quam depictam esse primus censuit Panofka: non ingredi Perseum istam Graeam. Ego vero illum habitum immo vindicaverim heroi; qui audax promptusque in Graeam appropians — contra nonnulli auctores, ut saepe indicatum est, dolum eius memorant — ubi ad propinquitatem mixti monstri audacia eius percussi advenit, tamen pavore quodam opprimitur, quin fortasse etiam incertitudine quidnam in miro isto portento facturus sit: ideo ad Mercurium, semper illum ducem suum, se convertit, qui quidem quiete eum instituit. Ipsam potissimum eorum quae quisque sentiat varietatem optime ante oculos propositam esse puto: obstupescentem Graeam, Perseum festinantem eundemque tamen haesitantem, denique deum cum tranquillo ac viribus suis freto consilio rem moderantem.

Contra Wieseler Perseum hic a Gorgonibus venientem cogitari sumpsit, atque Harpyiam quampiam ei occurrere. At, primum quaerimus, ubinam est Gorgoneum, ubinam arma, ubinam pera: quibus rebus in Perseo interempta iam Medusa Gorgonas sorores fugienti — ad istam enim fugam in Wieseleri sententia vehementissima illius festinantia spectaret, cum ex nostra opinione ad fortitudinem eius ac certandi studium referenda sit — nullo modo egere possemus. Deinde in

illius fugae
magis remon
nat et heroi
ac metu eiu
sibi vellet H
ptoribus sen
ni strictissim
aut inventu
Wieseler
edidit⁴⁷), n

Postre
conducere p
pars et ipsa
cet: Dioscu
ortum eoru
nitur⁴⁸).

His de
serie, paul
hoc addo
menti inter
veram esse
nec gravio
multis iis c
finita sit in
tera Persei
riarum eius
in figuris
Graeae fing
vehementer
non intellig
buspiam pa
cuti, figura

illius fugae imaginibus nobis notis Mercurius ab omni magis remotus esse solet quam quiete; potius ipse festinat et heroem ad citiorem cursum incitat, non sine cura ac metu eius quem tuetur⁴⁶). Atqui quid omnino tum sibi vellet Harpyia? Proprium nempe mythum nec scriptoribus servatum sumere necesse esset, ad quam rem ni strictissime cogentibus causis descendere nequiremus, aut inventum quoddam artificis, cui vasis pictura a Wieselero allata, quam Stackelberg in publicum edidit⁴⁷), nequaquam iustam mihi similitudinem praebet.

Postremo in Panofkae interpretationem etiam id conducere potest quod aversa eius de quo agimus vasis pars et ipsa rem in qua intersint cycni ostendit, scilicet: Dioscuros equitantes, inter quos ad significandum ortum eorum cycnum, qualis etiam alias perinde invenitur⁴⁸).

His de imaginum Perseum et Graeas exhibentium serie, paullum sane illa quidem varia, finem imponens hoc addo longe me abesse ut unius cuiusque monumenti interpretationem modo propositam utique unice veram esse putem: quae mihi tantum videtur aptissima nec gravioribus dubitationibus obnoxia. Praeterea in multis iis quas attuli imaginibus rependi debet quam infinita sit imaginum nobis servatarum multitudo quae cetera Persei facta celebrent atque in uno quoque victoriarum eius momento exhauriendo versentur, ut porro in figuris ceteroquin adeo parum notis quales erant Graeae fingendis, de quibus principales auctores tam vehementer differunt, cum Aeschylus iam a scholiasta non intelligeretur, quasque fingere res erat sane a quibuspiam partibus impedita, pars fictorum, Hesiodum secuti, figuras plane humanas formaverint, alii, in Aeschylo

iisque qui eum secuti erant nixi, aut proprias in monstra ista formas invenire aut typos iam aliquando in similibus usurpatos etiam Graeis vindicare, denique alii, ex diversa eius quod est apud Aeschylum „*κυκνώμορφοι*“ interpretatione pendentes, integram cycnorum formam Graeis dare potuerint.

§. 7.

De Graeis cum Gorgonibus in antiquae artis monumentis.

Quae in mythologia Graeca praeter Perseum rationem cum Graeis habent Gorgones sunt: quarum quidem cum innumerabiles imagines exstent illico forsitan in spe haberi potuerit etiam in Graeas multa ex iis acquisitum iri; at nequaquam res ita se habet. Non videntur nisi Persei gratia, id quod iam prius monui, artifices vires suas contendisse; quippe Graeas in plurimis Gorgonum imaginibus indagantes necesse est bis acquiescere in coniectura, ita ut opinionis ad certitudinem redigendae non detur copia; neque tamen illas suppressere volumus, quandoquidem fortasse aliquantulum ad gravia monumenta explicanda conferre poterunt quorum adhuc non constat certa interpretatio.

Amphora illa Casuccina ¹⁾ [Tb. II. n. 2.] non, opinor, personarum ad unam actionem pertinentium seriem vel unam rem continent, sed, id quod in similibus monumentis nequaquam est inauditum, plures, fortasse ex aliis imaginibus sumptas, res inter se compositas; quarum principalem, secutus in eo Levezowium ²⁾, cognosco Gorgonem Medusam e mȳthi discrimine non illo quidem

nobis noto
ne illius asp
Mercurii tute
tem cum ce
propria, cui
bitur galero
Medusam cy
est unam G
forma praed
Haud a
naci imagine
hibenti [emb
domicilio se
periculum p
rum custodia
Fructu
quaestionem
stitui, quam
nihil quam
eas quidem
primum quic
huc parum
primis antiqu
das usi sun
In quib
neum; et s
omnibus qua
supellectile,
ribus et equ
ornamentis,
gis ⁵⁾ cogno
esse illud s

nobis noto Perseum fugere conantem, qui averso ore, ne illius aspectu in lapidem mutetur, sub Minervae et Mercurii tutela contra Gorgonem invadit. Perseum autem cum certitudine galea significare videtur prorsus propria, cuius similitudo cum Plutonis qui illi heroi tribuitur galero ³⁾ manifesta mihi videtur esse. Atqui iuxta Medusam cycnus conspicitur: quo certe in propinquo est unam Graearum, Gorgonas custodientium, cycnorum forma praeditarum, ostendi aut certe indicari sumere.

Haud aliter in nota carpenti Perugini quae est Monaci imagine caelata Gorgonem leonem trucidantem exhibenti [embl. n. 4] avis quae prope bestiam, ab eius domicilio seiuncta, erecto collo clamare atque imminens periculum prodere studet commodissime pro una Graearum custodiae munus exercentium habenda esse videtur.

Fructuosior mihi evasit ea investigatio quam ad hanc quaestionem in Gorgonei capitis imaginibus innumeris institui, quamquam ea quae reperi ideo leviora sunt quod nihil quam symbolicas Graearum fictiones praebent, et eas quidem ingeniose eleganterque ludendo exaratas. Ac primum quidem de ansis argillaceis aëneisque, valde adhuc parum observatis, verba facienda erunt, quibus in primis antiqui fictores ad res sollerter symbolice signandas usi sunt.

In quibus quam maxime usitatum est fingi Gorgoneum; et si quis quam frequenter illud adhibeatur in omnibus quae ad usum vitae quotidianae pertinent et in supellectile, scutis, galeis, loriceis, ocreis, insignibus, curribus et equorum ornatu, navibus, hastis, candelabris, ornamentis, annulis, vestibus, sellis, aedibus, sarcophagis ⁵⁾ cognoverit ac consideravit ei non eget memoratu esse illud signum pro amuleto ad malos oculorum ob-

tutus malosque daemonas avertendos, atque in supellectile vasisque vitae fructui inservientibus maxime illud talium malorum avertendorum adiumentum salutare ac necessarium esse, in quibus quippe ipsis usurpandis potissimum excitaretur invidia. Lunae os Gorgoneo significari nimirum in ea re apud animos prorsus extinctum est; quae res dumtaxat hic illic leniter tangitur ludis unius alteriusve pictoris qui serpentium Gorgoneum circumcingentium numerum ad mensis vel hebdomadis quos luna moderatur dies ⁶⁾ accomodarent. Ceteroquin simpliciter pro formidinis quadam imagine ideoque amuleto, et eo quidem iuxta phallum vel supra illum efficacissimo, usurpabatur.

In quibus ansis Gorgoneo superiorem aut inferiorem locum tenente in contraria parte animalia vel animalium capita esse solent: in quibus praecipue ac prope unice sunt equi et cycni. Hic primum prioris generis nonnullas affero, solum Museum Reg. Neapolitanum, his rebus copiosissime instructum, adhibens, tum nonnulla alius possessionis monumenta adiiciens.

1) „Grosses Lokrisches Gefäss mit drei Henkeln, im Innern mit Medusenkopf; im Aeussern ein geflügelter Medusenkopf. Derselbe ist mit fletschenden Zähnen und herausgestreckter Zunge gebildet; ihr Haupt erscheint abgelöst; aber mit den im Kampf des Todes gegen die Brust gewandten Armen oberwärts zwei hervorspringende Pferde.“ Gerhard und Panofka Neapels antike Bildw. p. 194; effictum Real. Mus. Borbon. III. tab. LXII, Wieseler Denkm. d. alten Kunst II. V. tab. LXXII. n. 900. p. 51., cf. Panofka Musée Blacas p. 35, Dux de Luynes Etudes numismatiques p. 62.

2) eiusdem generis, infra Gorgoneum, supra duo equorum aut mulorum capita collaque. Real. Mus. Borb. III. tab. XLVII. n. 3.

3) 4) „Zwei Krüge, deren Henkel oberwärts in Pferdeköpfe und unten in Medusenhaupt ausgehen.“ Gerh. u. Pan. l. c. p. 175.

5) eiusd. g.
6) „Ross,
zwei Pferdek

7) ansa cu
quites V. tab.

8) bulla au
enthaupteten

Anz. 1859. p.

9) terrae c
expressa Med

equi. Mical
effigies p. 82.

Non q

tremo loco

geniose his

scet: quibu

alio loco d

propositus

Iam s

cum cycnis

menta affer

1) vas cum

circumcluden

Gerh. und E

2) vas sim

Vasi Greci.

3) item. I

4) „zwei e
diese enden
Gänsehälsa.“

5) „Schöne
ren und Gä
Romano, sec
n. 6.

6) monile
enorum capit

5) eiusd. gen., prorsus simile. *ibid.* p. 180.

6) „Ross, dessen einer Fuss einen schönen Medusenkopf bildet, zwei Pferdeköpfe bilden den anderen.“ *ibid.* p. 233.

7) ansa cum Gorgoneo et uno equo. Caylus *Recueil d'antiquités* V. tab. LXXXIX. 5.

8) bulla aurea Ducis de Blacas. „Zwei Pferde, dem Halse der enthaupteten Meduse entsteigend.“ Wieseler in *Gerh. Arch. Anz.* 1859. p. 119.

9) terrae coctae fragmentum vasis Clusini cum imagine superne expressa Medusae cornutae, in cuius pectore duo inter se adversi equi. *Micali Monum. Ined.* tab. II. n. 8, Dux de Luyne *l. c.* effigies p. 82, cf. p. 63 sq.

Non quis facile, praesertim si ex duobus quae extremo loco attuli monumentis profectus fuerit, quid ingeniose his imaginibus fictum sit symbolice non agnoscat: quibus sine dubio duorum Pegasorum⁷⁾, vel, ut alio loco demonstrare studui, Pegasi et Chrysaoris ortus propositus est, e Medusae corpore provenientium.

Iam si ansas et instrumenta in quibus Gorgoneum cum cynis fictum sit circumspexerimus haec fere monumenta afferenda erunt.

1) vas cum ansis per cynorum colla effectis Gorgoneum supra circumcludentia. v. Iorio *Galleria de vasi Nap.* 1825, etiam ap. *Gerh. und Pan. Neapels ant. Bildw.* tab. I. n. 2. [Tb. II. n. 3].

2) vas simillimum ap. *Gerh. Nuove Ricerche sulle forme de' Vasi Greci.* Ann. d. Inst. 1836. tv. d'agg. C. n. 10.

3) item. De Witte *Catalogue Beugnot.* tab. n. 25.

4) „zwei erzene Lectisternien mit zwei unregelmässigen Stäben; diese enden einerseits in geflügelte Medusenköpfe, andererseits in Gänsehäse.“ *Gerh. u. Pan. l. c.* p. 169.

5) „Schönes Giessgefäss mit einer Medusenmaske an dem unteren und Gänsekopf an dem obern Henkelanfang.“ In *Collegio Romano, secundum Platnerum in Beschreib. Rom's III.* p. 489. n. 6.

6) monile aureum cum Gorgoneo pampineo, in finibus duo cynorum capita. De Witte *Cabinet Durand.* n. 2103.

7) *cycnus et Gorgo in vase argillaceo Neapolitano.* Gerh. Arch. Anz. 1859. p. 112.

Commode hoc loco hi sepulcrorum cippi adiunguntur.

8) Cippus Borghesinus, nunc in Louvreo; inter copiosum ornamentum infra titulorum tabulam etiam invenitur Medusae caput duobus *cycnis* circumdatum, supra illud oscula inter se iungentibus. v. Moses Vases tab. CI, Clarac Mus. de Sculpt. tab. 252. n. 307, Bouillon Mus. d'Antiq. n. 89 in iis qui etiam nunc edipergunt, Cippes choisies Rom. II. n. 3. [Tb. I. n. 6].

9) „Cippus der Antonia Panace, sonst in den mediceischen Gärten, jetzt im Real Mus. Borbon. Durch Spon und Lessing bekannt; unter der Inschrifttafel halten zwei Schwäne eine Medusa.“ Gerh. u. Pan. Neap. ant. Bildw. p. 61 sq., Gruter Thesaur. tb. DCLXIX. n. 1.

10) Cippus in aedibus Corsininis, Platner in Beschreib. d. St. Rom. III. 3. p. 605.

11) Cippus in Villa Ludovisina. *ibid.* II. 2. p. 582.

12) Cippus in Villa Albanina. *ibid.* III. 2. p. 497. n. 18.

Numeri supplendi causa picturae parietis quae est ap. Roux et Barré (les Antiquités d'Herculanum IV. tab. LXX) mentio fiat, in qua duo *cycni* tenent Gorgoneum.

Quibus omnibus variis imaginibus lunae os circumdatum Apollinis Solis avibus fictum esse vulgo creditur⁸⁾. At duo sunt quae in hac re monenda habeam. Primum sane, concedo, negari non debet *cycnos* ad splendorem Apollineum Solisque candorem signandum saepe in suppellectile ususpari, verum id quidem non fieri nisi si illi arcte cum cuiusque vasis usu cohaereant, id quod maxime evenit in lucernis et candelabris; quae avis perinde in sarcophagis et cippis pro lucis Orcum noctemque vincentis symbolo valde idonee adhibita foret. Sed bene caveas ne tales ad res coelestes pertinentias etiam illic reperire tibi videare ubi istae suam habere signifi-

cationem n
tantum inte
tius esset e
ibi nullo m
attuli sepulc
capitis *cycn*
dem bene
tera causa.
solem et lu
symbolice
Gorgoneo e
saepius, pu
etiam Medu
opinor, cap
effigie, qu
tellectu ad
rei natura
lis circumci
Et haec
nus illos in
cnis, Gorg
fictum vide
diae in viv
in absciso
exempli ac
Townleyani
a duabus a
proveniunt
bolice signi
ter exercet
Duae
ficis licentia

